




**Oratio Theodori Bibliandri ad enarrationem Esaiae
Prophetarum Principis dicta Tiguri III idus Ianuarij a? natali
Christi Domini anno MDXXXII.**

<https://hdl.handle.net/1874/428522>



**Dit boek hoort bij de Collectie Van Buchell
Huybert van Buchell (1513-1599)**

Meer informatie over de collectie is beschikbaar op:

<http://repertorium.library.uu.nl/node/2732>

Wegens onderzoek aan deze collectie is bij deze boeken ook de volledige buitenkant gescand. De hierna volgende scans zijn in volgorde waarop ze getoond worden:

- de rug van het boek
 - de kopsnede
 - de frontsnede
 - de staartsnede
 - het achterplat

**This book is part of the Van Buchell Collection
Huybert van Buchell (1513-1599)**

More information on this collection is available at:

<http://repertorium.library.uu.nl/node/2732>

Due to research concerning this collection the outside of these books has been scanned in full. The following scans are, in order of appearance:

- the spine
- the head edge
- the fore edge
- the bottom edge
- the back board


Kast 108


N. No. 16





17














N. 29. B.



D. 8. 167 /

K 108 N 16

 ORATIO

THEODORI BIBLIAN

DRI AD ENARRATIONEM ESAIAE

Prophetarum Principis dicta Tiguri III idus

Ianuarij à natali CHRISTI

DOMINI, ANNO

M D XXXII.



Ex dono Bucgelii

TIGVRI APVD CHRISTOPHO
RVM FROSCHOVER.



PROLOGUS

THEODORI BIBLIARII

DEI AD THEOPHYLACTUM

PROLOGUS

THEOPHYLACTI

DOMINI ANNO

M. D. XXXII

THEOPHYLACTI

DEI AD THEOPHYLACTUM



2

CHVNRADO PELLICANO ET LEONI

Iude præceptoribus suis obseruandissimis

Theodorus Bibliander S.



Vobis exprimere nequeo præceptores colendissimi, quantum me iuuet, vestro iudicio probari ea, quæ hisce diebus ad enarrationem Esaiæ prophætæ clarissimi præfatus sum. Etenim quum sit mei animi singulare votum, & id semper, quoad usum aliquem rationis cõsecutus sum, laborarim ut mea consilia, facta, studia, totius denique uitæ ratio bonis & sapientibus uiris probaretur, id ipsum quando me assecutum intelligo, mirum est, qua uoluptate perfundar. Imprimis uero quod testimonijs uestris ingenij mei foetus quantumuis immaturos commendari, quos uitæ & studiorum duces ac moderatores cõsecutus sum, apud quos dum ratio mihi constat, mecum agitur præclarissime. Siue igitur sincere iudicauistis, siue iudicium uestrum animi erga me propensio ex significatione quæpiam uirtutum orta, corruptit, maximopere delector testimonio iudicioque uestro, quod instar mille aliorum mihi est. Sed quod hortamini, ut orationem hanc per exemplaria mille transfusam in publicum dimittam, uidete num uestra prudentia dignum situratis. Ego quidem de meo ingenio nihil tale sperare ausus fuisssem in præsentia, ut aliqua mearum lucubrationum iudicium sæculi nostri pariter hominibus eruditissimis abundantisimè pariterque studio detrectandi corruptissimè, sustinere posset. Atque hunc uberrimam fructum lectionis meæ hæcenus putauit, si post multos annos tandem procudere possem, quod manibus studiosorum uerferetur, adulescentiumque ad meliorem literaturam cõnitentium aliqua ex parte industriam adiuuet. Hanc uero præfationem sic composui, ut si me intra limen nostri auditorij cõferrem uoti faceret, abunde suo munere functa esset. Nuper enim uocatus ab honestissimo urbis Tigurinæ collegio ad litteras docendas, quum à libris *τῶν παραλειπομένων* ad Esaiæ interpretationem duos uacuos dies impetrassem, quibus à lectione publica seriatim; materiam illius uatis sub animi aspectum reuocarem, subiit mihi, non abs re fore, si ordini studiosorum exactius de me iudicandi copiam facerem. Ba pro-

pter inflitū hanc orationem testem simplicē & ueracem, quid
mihī sit animi erga sacrarum literarū studia, qui sensus de rebus
diuinis, quod iudicium de uerbo ueritatis & mendacijs, adeo q̄
de omni genere scriptorū: adiectis in fine pro more scholasti-
corum nonnullis ad prophetā Esaiam pertinentibus. Vnicum
autem propositum fuit, simpliciter, clare, citraq; omnem suū
meam mentem adperire, quo posset ordo sacerdotum & stu-
diosorum inter inītia statim cognoscere atq; statuere de me,
utrum ex gloria Dei, ē reliteraria, ex dignitate commodoq;
urbis Tigurinae esset, mihī munus sacras literas tractandi in-
iungere, an de commodiore à lectionibus prospicere. Cæterū
quia tam felicem euentum huic orationi Dominus dedit, ut
non solum intellectum sit quid habeam iudicij de literis sacris
& prophanis, uerum etiam uestro iudicio probata sit ipsa ora-
tio, & cōmuni deniq; omnium suffragio mihī tanta prouincia
decreta, ob hoc merito ingentes gratias cœlesti numini ago,
atq; ut nobis om̄ibus totiq; populo Christi felix ac faustū sit,
entis oro. Sed dignā esse hanc orationē, quę in manus homi-
num emittatur, si quis tamen si quis hanc legere dignabitur, non
possum animo meo persuadere. Verū utcunq; sit, meū iudiciū
uestro subiiciā, & placitis uestris obsecundabor, quando quidē
p̄ceptoribus ius est quidlibet discipulis p̄cipiendi, rursumq;
illorum officium iussa magistrorū capessere, ac uobis ita cō-
sentibus hanc lucubratiunculam diuulgabo. In quo sanē ue-
stra autoritas, quam merito sequor, facile ut cōfido, meā ex-
istimationē tuebitur, ne cui temerarius, p̄ceptus, aut arrogans
uidear, in tanta literatorum uirorum copia, tam ingenio tenui,
tam modica p̄ceditis eruditione, hac deniq; ætate, scribentiū
alex me committens. Consilij autem huius à uobis rationem
exigere non debeo, cui debet satis rationis apud p̄cepto-
tores esse, credere illos nihil sine ratione facere.

Valete ac me in studijs literarum sanctarum
de sudantem fauore monitisq; semper
adiuute. Tiguri V. idus Februarij.

M D XXXII.



3

PRAEFATIO AD
ESAIAM PROPETAM.

Rudenter ac uerè Horatius Flaccus monuisse uidetur uiri fratres & patres in Domino, illud optimū esse, ut quam quis norit, hac sese exerceat arte. Nemo enim de re quacumq; iudicat exactius & certius, quam per ritus: nemo de illa differit, & uerbis exponit melius, quam artifex: nemo citius feliciusq; conficit, quam qui agendi facultatem multo iam usu parauit. Atqui debemus omnes ijs nos potissimum negotijs accommodare, in quibus confidimus, nos posse prestare (utpote ad ea nati & disciplinis instituti) adq; cōmunitatem generis humani plurimum cōferre. Proinde si uolumus nomen hominis tueri, non nobis tantum nati esse, uerum & aliorum utilitatibus, non ad somnum aut ludum, sed ad gloriam creatoris ampliandā, rectissimum erit illud facere, quod sapientissimus poëta in cōmune salubriter consuluit, ac eas res quemuis nostrum tractare, quas poterit agendi facultate parata, optime conficere. Idem censuit & praecepit diuinus ille Paulus, ut quisq; maneat in sua uocatione, illam gerat tueaturq; personam, quam Deus imposuit, & ad illam agendam instituit, nec inconstanter aliam sumat aut appetat, quemadmodum optat ephippia bos piger, optat aras

Quae ab
sterreant
à munere
propheti-
co.

PRAEFATIO AD

re caballus. Eam siquidē personam rectissime demum
 & cum decore poterimus agere, quam Deus summus
 agonothes attribuit. Hoc sanē consilium & praece-
 ptum iam aliquot annis ualde probo, & indies magis
 magisq; uerū experior, dum in tractatione sacrarum
 literarum uersor. Nunquā enim meus quiescit ani-
 mus, nullibi mihi satisfacio, nedum ut sperem me posse
 alijs approbari, postquā mihi suscepta est incōgrua
 persona, onus supra uires, munus praeter aetatem, pro-
 fessio ultra meam facultatem: ut uehementer pertime-
 scam, ne tempus operamq; huic muneri frustra impen-
 dam, quae in res inferiores, & meis uiribus aequatas
 utiliter me ante conferre sperabam. Non has uoces ia-
 cto per stolidam arrogantiam optimi uiri: non propria
 uituperatione laudem alienam aucupor: non haec fingo,
 qui mecum habito, & noui quā sit mihi ructa
 suppellex. Et uos quotidie meam tenuitatem atq; in-
 opiam re ipsa cognoscitis. Iusta haec querela est, qui
 uel imprudentia mea uel casu quodā & fato eam pro-
 uinciam subierim, quam pro dignitate administrare non
 possum, & illam deserere ab alijs atq; alijs, alio nomi-
 ne uitio mihi uertetur. Sed enim quā grauitur puta-
 tis aures animumq; meū feriri Dauidis ista cantione:
 Peccatori dixit deus, Quare tu enarras iusticias meas,
 & adsumis testamentum meum per os tuum? Audio
 Deum indigne ferre, si peccator iusticias illius enar-
 ret.

ret, siq; testamentum eius sceleribus obnoxij uerbis
 usurpent. Quam uerò purum, sanctum, sincerū, & ab
 omni uitiorū labe alienū conuenit cum esse qui de bo-
 no thesauro cordis sui pferat noua & uetera eloquio-
 rum Dei, quæ munda sunt, repurgata sordibus terræ,
 purgatiore argento septies cōflato? Deus ignis consu-
 mens est, eloquiū Domini ignitū, uerbum Dñi gladius
 utriq; acutus: & qualem oportet esse uaginā, in qua
 gladius ille spiritus reponatur, ac de qua proferatur?
 Requiritur ubiq; & flagitant apostolica scripta ex-
 quisitam uitæ innocentia ab omnibus, qui Christi no-
 men gerunt, atq; dedecus in Deum redundare testan-
 tur, si quid mali ac tetri facinoris ab eis designetur. Ab
 ijs uerò qui munus docendi gerunt in ecclesia, quæ si-
 ne macula, sine ruga debet esse, quæ dij boni sinceri-
 tas, quæ animi puritas, morū integritas, quot quanta-
 rumq; uirtutum chorus exigitur? Angelicam uitā de-
 signat Malachias in ijs, qui res sacras obeant, quiq; ser-
 mones Domini uersent. Et quid ego miser peccatorum
 sarcina pressus ago in diuinis studijs uix dū homo to-
 lerabilis? Hæc sanè fratres charissimi & id genus sex-
 centa cogitanti, ad hæc ingenium imperitiamq; meam
 expendenti nō raro in animum subit, uel ultra Sauro-
 matas & glaciale Oceanum transfugere, quam me
 pro tractatore sanctarū scripturarū gerere. Iam ue-
 rò ubi sum ausus altius descendere in adyta ueteris in-

PRAEFATIO AD

strumenti, & in abstrusa propheticoꝝ uoluminũ me-
demittere, abyssus immensa mihi se aperit, & abys-
sus abyssum inuocat in uoce cataractarum. Coelũ un-
diq; & undiq; coelũ. Ostendit se ineffabilis & stupen-
da numinis diuini maiestas. Rotæ apparent arcanis
quibusdam nexibus implicite: uenerande animalium
formæ undiq; undiq; rerum sacrarũ incognite facies
occurrant. Omnia sunt referta mysterijs: omnia se of-
ferunt admiranda, stupenda, adoranda, plena diuinita-
tis, plena sapientie & scientie immensa, ineffabilis,
impenetrabilis. Ibi cogor cũ apostolo Paulo exclama-
re: O altitudo diuitiarum sapientie & scientie Dei, q̄
incõprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles
uie illius. Ibi caligo mentis oboritur, caput uertigine
rapitur: magnus circũstat metus, ne præceps in hoc re-
rum inenarrabiliũ theatro grauem casum faciam. Ni-
hil circũ me præsidij proprij uideo, quod apprehen-
dam, cui nitar, quo sustentor. Prudentia maximũ ad res
omnes in uita mortaliũ adsequendas, conseruandas, &
ampliandas adminiculũ, quantulacunq; mihi contigit,
Literatu= ante fores huius cœlestis palatu deponenda est. Litera=
ra huma= rum humanarũ cognitio utile, cõmodum & necessa=
na. rium in rebus bene agendis instrumentum est: ad cor-
ticem quoq; diuinæ scientie frangendum unice deser-
uiens. Sed ad eliciendas eruendasq; ueritates, quæ alt-
tius in mente sunt diuina repositæ, ne hiliũ quidẽ con-
ferre

ferre uideo. Non enim percipitur literarū & uerborū elementis, qui totus animus, totus spiritus est. Non dialecticis ratiocinio & indagine inuestigatur, qui superat omnem sensum. Nulla eloquentia, nulla facultas dicendi eū enarrare potest, qui ἀφρατος & ἀλόγος & uere στυγλός est: ad cuius reuerendā maiestatem omnis lingua conticet, ac omne os obmutescit. Non calculo Arithmeticoꝝ colligitur, qui est ante omnem creaturā, extra omnē rationem, cuiusq; magnitudinis & sapientie nō est numerus. Qua ratione uerō Geometrica mensura expendat eum, qui est immensus & inuisibilis? quo pacto istam mysticam longitudinē, latitudinē, altitudinēq; scrutaretur? Iam Musica ista mundana nequaquam rationē carminis nuptialis, quod sponso Christo & sponse canitur, explicabit, nec illius cantici, quod angelici chori canunt super thronū sedenti Dño Sabaoth, nec quod uirgines sequentes agnum illum adorandū concinunt. Ipsa deniq; Astronomia deficit, quæ licet domiciliū Dei & solū maiestatis diuinæ describat, eiusq; ornatum explicet, non tamen penitus adducit ad illū, qui habitat lucem inaccessam & nulli præter spiritū Dei peruiam. Iam uerō si iuxta disciplinam Ethicam uelis ex ingenio & moribus humanis aestimare illū, cuius sensus & uie longius absunt à nostris ingenijs & institutis, quàm coeli distant à terra. Si coneris dispositionē domus Dei cum nostris ra-

P R A E F A T I O A D

tionibus comparare, si regnum Dei aeternum ad mundi politias reuocare, toto caelo aberrabis. Nudus ergo demum & uacuuus admittitur ad ingens illud reru sacratissimarum spectaculu. Qui enim olim Mosen ceciatum non admisit ad colloquium suum, hodieq; excludit, repellit, abigit, qui secum ferunt aliquid de terrore pecudis, super quo gradientur, qui afferunt carnis affectu, ratiois praesumptas opiniones, aut omnino aliqd fiduciae in rebus humanis. Quid hic mihi igitur sensus esset putatis in illas angustias, in amplissimo rerum diuinaru sacrario, redacto? Quem horrorem & stuporem mentis in me credi par est? Saepe cogito mutationem instituti: cogito fugam a tractatione legis diuinae: Contentus mea simplicitate, cupio latere in angulo domus patris nostri coelestis, non ad somnum & secordiam, sed ut in rebus leuioris operae plus comodatibus hominum conferam: Interpretationem uero arcanarum literaru illis relinquam, quos Deus uberiore ditauit spiritu, quos rex gloriae dignatus est introducere in cubiculu suum adperiens illis thesauros sapientiae et scientiae, penitusq; inspiciendos, tractandos, euoluendos & explicandos praebens, quos deniq; omnijugis dotibus animi et corporis instruxit, ut idonei sint ac legitimi, condi, promi & dispensatores mysteriorum Dei.

Verum enim uero si Dñs Deus occasione probabilem

lem non ostenderit munus hoc deponendi, quo consilio
 & fato, quæ ue me a imprudentia aut temeritate susce- Que animi
addant fas
cras literas
tractandi.
 ptum, uolueritq; me longius in hoc curriculo apud ue-
 stram charitatē progredi, sunt rursus res, quæ me so-
 lantur & utrūq; suffulciunt. Primū intelligo neminē
 mortalium per se perfectū esse, neminē sanctum & à
 uitiorū corruptelis alienū, neminē suo pte ingenio &
 uiribus sapere, quæ Dei sunt, neminem errorum tene-
 bras, ignorantiaeq; hominibus agnatæ caliginē discu-
 tere, nisi cui pater luminum benignus in omnes citra
 personæ respectum dignatur spiritu reuelante adpe-
 rire, ac uelut lumen de suo lumine accendere. Video
 neminem idoneū ministrū & dispensatorē arcanorum
 gratiaeq; Dei, nisi quem mera ipsius gratia reddiderit
 aptū, ut omnia sint ex fronte honorū Deo, per Deum,
 propter Deū, in Deū, qui est ὁ οὐρανὸς ἔειπεν. Agnoscunt
 omnes pij suā infirmitatē, et se minime paratos faten-
 tur ad res diuinas expediendas. Alius queritur se la-
 bijs non circūcisis præditū esse: Alius ne executum eat
 iussa & mandata Dñi, causatur se puerū, nec cōmode
 posse loqui: Alius neglecto planē imperio fugit à facie
 Dñi in Tharsis. Esaias uero noster accinctus iam pro-
 phetico muneri, carbone demū purgatur ignito. Qui
 ergo tam diues & liberalis est in omnes, me quoq; nō
 præteribit spero ægenūq; et esurientē implebit bonis,
 q̄ diuites dimittit inanes. Illud etiā nō parū me reficit, q̄

PRAEFATIO AD

Deus prudentiã huius sæculi ad apperendũ arcanum
 pectoris sui adeò non requirit, ut etiam uehementer
 detestetur. Perdam inquit sapientiam sapientum, &
 prudentiam prudentum reprobo. Elegit enim Deus,
 stulta huius mundi, ut cõfundat sapientissima: humilia,
 ut deprimat sublimia: infirma, ut robustissima huius
 sæculi frangat, & funditus aboleat. Idipsum & sal-
 uator noster corã patre testatur. Testor, ait, ô pater,
 quòd absconderis hæc à sapientibus, & reuelaueris
 ea paruulis, utiq; quia sic placitum est tibi. Rursum
 pater apud prophetã interrogat, Ad quem respiciam?
 Et subdit: Ad pauperculum & contritum corde ac
 tremementem sermones meos. Proin & filius splendor
 patris, qui nihil potest facere, nisi quod uidit à patre
 fieri, explanaturus nomẽ patris, in cuius gremio sem-
 per existit, et publicaturus arcanũ uoluntatis æternæ,
 haud delegit prudentia sæculari turgidos, disputatio-
 num tendiculis instructos, lingua grandiloqua pertor-
 nantes, nõ celebros legis enarratores, scribas et phari-
 seos, sed idiotas, sed simplices, sed infirmos, qui primo
 tardi fuerunt, postea uero accelerauerunt, ut ait Da-
 uid. Quibus & Dominus grauitè exprobat nunc
 stoliditatem, nunc imbecillitatẽ. Ita ne, inquit, stolidi
 estis, ut & uos illa non præcipiatis? Et alibi: O natio
 praua & incredula, quousque manebo uobiscum?
 quousq; sustinebo uos? At ubi tempus appetit quo no-
 men

men Christi per uniuersum orbē circumferrent, plena, quod aiunt, manu omnifaria spiritus charismata in illos effundit, iuxta uaticinia prophetarum, & imprimis Ioelis, admodū splendide ac plausibiliter loquentis de Messia temporibus. Per hunc beatum spiritum sunt affatim preparati, ad munus delegatū, & perducti in omnem ueritatem, pertinentem ad salutis negotiū. Quicquid in eis erat noxiū humoris, quicunq; morbi & labes syncerae ueritatis corruptrices, sacra diuini spiritus flamma exussit atq; cōsumpsit, ut prodirent noui homines, & germana instrumēta, quibus immensa Dei gratia per Christum saluatorem collata ubiq; gentium inuulgaretur. Quod si ergo me Dominus de pulpito ecclesiae non deiecerit, & consensus ecclesiastici ordinis potestatem de rebus sacris dissendi non ademerit, sperare possum, uenam caelestis gratiae deriuatum in me iri, ut nō frustra hunc locum occupem, neq; in fraudem populi Christiani. Ad hoc Ratio ueranam quoq; spem erigit me pollicitatio diuina nunq; sandi in sa fallens, nunquam excidens, quae rogantibus in nomine cris libris. Christi, quiduis promittit. Petite, ait, & accipietis: pulsate, & adperietur uobis: quærite, & inuenietis. Et mox infra. Si uos qui mali estis bona filijs uestris dona conferre nostis, quanto magis pater uester in caelis dabit spiritum bonum petentibus se? Atq; alibi. Quicquid rogaueritis patrem in nomine meo, dabit uobis.

PRÆFATIO AD

Petâ igitur & ego uotis ardentibus cognoscere, quæ sit bona Domini uoluntas, & audiam quid loquatur in me Deus. Petam ut detur mihi sermo sapientiæ in adpersione oris ad ædificationem spiritualem sacrosanctæ ecclesiæ. Pulsabo fide, pulsabo laboribus, diligentia, uigilijs, pulsabo studio indefatigato. Queram uero Christum cuius diem desiderauerunt uidere patriarchæ omnes & prophætæ: De quo prophætæ omnes prædixerunt, quotquot in nomine Dei locuti sunt: Qui gerit clauem Dauid patris sui claudens ut nemo adperiat, referans ut nemo recludat: Cui testimonium reddunt pariter omnes scripturæ. Queram gloriam immortalis Dei, qui est omnia in omnibus. Queram geminam charitatem Dei & proximi, ex quo sacer-rimo clauo pendet lex & prophætæ. Inquiram uero non in spinetis sophistarum, non in lacunis philosophorum, non in sterquilinio traditionum humanarum, non denique aquam coelestem in punicibus cerebri mortalis indagabo. Sed queram in diuinis literis certo, puro, & locupletissimo receptu sapientiæ & philosophiæ coelestis. Iis ducibus non fallentibus me credam, ijs magistris probatissimæ fidei excolendum tradam, in horum augustissimo ludo dies noctesque iugi meditatione uersabor. Consulam istarum literarum interpretes & explanatores, qui mortui iam diu loquuntur in ecclesia Dei, nec quisquam sani capitis imperat

eis

Commen-
tarijs ad
sacras scri-
pturas qd
tribuendū

is silentium, quo minus illi præstantissimi Christi satellites prophetent, ac de arcanarum scripturarum sensu disserant. Veluti in Esaiâ prophetâ, quem hodie utinam bonis auspicijs, aggredimur, consulam Diuum Hieronymû, cõsulam præceptores meos partim quiescentes in Domino, partim in terra degentes, qui suis eruditissimis cõmentationibus hunc prophetarû principem & coryphæum illustrarunt. Non pigebit etiam Iudeorum tractatus cognoscere, quoties per otium dabitur. Atq; utinam nobis quàmprimum cõtingant, quæ Basilii magni, quæ Theophilacti in hunc classicum uatem annotarunt. Valde autem meo dolet animo, intercidisse libros Apollinaris, Didymi, Eusebij, Origenis, Victorini, qui dubio procul multû adiuuarent nos, ad eruendum uerum, solidû, germanum, genuinû, & indubitatum sensum huius præstantissimi scriptoris. Cum iudicio tamen et delectu in his uersabor, cauteq; ac diligenter eos arbitrabor, eatenus interpretû approbans dicta, quatenus diuinis uerbis, et ex canonica scriptura petitis testimonijs dictorû suorû mihi fidem fecerint. Didici enim cum Diuo Augustino solis canonicis scripturis hunc honorem deferre, ut intellectis toto pectore assentiam, non pedibus tantum sed toto corpore in eorû sententiâ discedam, & nõ intellectus meas friuolas opiniones neutiquam opponã. Ceterû scriptis omnibus non plus fidei adhibeo in rebus ad

Scopus
scriptura-
rum.

salutis aeternae summam cernentibus, quam approbatae scripturae dogmatibus clavis extorquet, ac obtinent. Hanc etenim prerogatiuam soli Deo reseruatam esse iudico, ut ab omni errore scriptura ipsius longissime absit, omnia uero mortalium scripta plus aut minus certe mendas errorum habeant. Animam domicilium superni numinis, censeo unice pertinere ad iurisdictionem spiritus sancti, cuius gladio, quod est uerbum Dei, certum, indubitatum, & ab omnium saeculorum sanctis approbatum, regatur, gubernetur, doceatur, & formetur. In omnibus porro his memori mente retinebo dictum sanctissimi Petri, scripturam non esse priuatae interpretationis, nec humana uoluntate prophetiam olim esse allatam, sed instinctu spiritus sancti locutos esse homines Dei sanctos. Habere autem nos firmiorem sermonem propheticum, cui attendentes recte faciamus ueluti lucernae in obscuro loco posita, donec illucescat dies, & lucifer oriatur in cordibus nostris. Is nimirum est sermo euangelij de immensa gratia bonitatis diuinae ubertim in nos per Christum effusa. De quo ut idem ait Petrus in priori epistola, exquisiuerunt atque scrutati sunt prophetae, qui de futura in nobis gratia prophetarunt, scrutantes in quod uel quale tempus significaret in eis spiritus Christi, praenuncians eas, quae in Christo sunt passiones & posteriores glorias, quibus reuelatum est. Quia non
per eos,

sibi met ipsis, nobis autem, hoc est, Domino Iesu fiden-
 tibus ministrabant ea, quæ iam nunciata sunt nobis
 per eos, qui euangelizarunt nobis spiritu sancto cœ-
 litus missio, in quem desyderant angeli prospicere.
 Hunc lapidem angularem tenere studebo, in quo om-
 nis ædificatio spiritualis constructa per commissuras
 crescit in templum sanctum Domini. Huius pastoris
 animarum nostrarum uocem auscultabo, & percep-
 tan sequar. Huius unici magistri nostri dogmatibus
 firmiter adharebo, aduersarius & hostis mendacij,
 errorum, sectarum, hæresum, & quicquid sinceræ
 ueritati, Christianæq; simplicitati repugnat. Capita
 uero 12. nostræ sanctæ catholicæ & apostolicæ fidei
 religiose tuebor. In ecclesiæ siquidem gremio filius
 obediens requiescere imprimis cupio. In ecclesia dico Ecclesia
 Christi, quæ est corpus ipsius: quæ capiti annexa do-
 nis omnijugis supernè dimanantibus per omnia mem-
 bra uegetatur: Quæ est communio sanctorum omnium
 præteriti, præsentis, & futuri sæculi, quotquot par-
 ticipes facti sunt regni cœlestis, & in hereditatem
 filij Dei simul adoptati. Cum ecclesia uero Papistica
 & antichristiana, ne cõmune quicquam mihi sit, faxit
 elementissimus Deus, quæ est colluuius hominum cor-
 ruptæ mentis, animarum tyrannis & carnificina, ne-
 bulonum & impostorum cõspiratio aduersus Domi-
 num & aduersus Christum eius, synagoga sathane,

PRAEFATIO AD

concilium diaboli. Cum qua ne unquam faciã, neu in
 eius uerba consenciam & iurem, neu illius praua de-
 creta tuear & defendã, præseruet me gratia Domini
 cum pijs omnibus, qui cupiunt esse membra corporis
 Dominici, non adulteræ, non scorti, nõ meretricis Ba-
 bylonicæ: ut tranquillo animo letaq; cõscientia pos-
 simus expectare aduentum nostri Dñi Iesu Christi, cui
 datũ est omne iudiciũ à patre, nõ expauescentes eum,
 ut formidabilem iudicem, sed induti uestem nuptialem
 prestolantes ut sponsum nuptias celebraturũ æternas
 in cœlestibus cum omnibus uocatis, electis, & sanctis,
 quos non puditũ est in hoc sæculo nec Christi nec ser-
 monũ eius. Porro fratres in Domino charissimi operæ
 precium fuerit, ut me desudantem in stadio scriptura-
 rum uestris apud Deum precibus adiuuetis, qui mihi
 concedat facultatẽ loquendi recta, utilia, digna cœtu
 uestro honestissimo, digna Deo & uocatione, qua nos
 uocauit ad regnum filij sui: ut loquar tanquam qui lo-
 quitur eloquia Dei, non cauponans uerbum Dei, non
 uertens uinum in aquas, argentum & aurum in sco-
 riam, eloquia diuina in stercur humanum: ut loquor
 deniq; de arcanis regni Dei, non ut placere studens
 hominibus, non scurriliter & uelut agens ludicrum:
 ut non etiam professionem primariæ dignitatis, uitæ
 impuritate contaminem, ne dum alijs de spe futuræ
 felicitatis in nobis reuelanda loquor ipse reprobus
 inueniar,

Orationis
 piæ uis.

inueniar, ex illorum numero unus existens, qui confitentur ore se nosse Deū, factis autem negant. Orabitur igitur enixe pro me, ut ὁσθὸς ὀσῶς perpetuò maneam, ne usquam à uero scopo aberrarem affectionibus humanis corruptus, ne magister errorum, author heresum, schismatū excitator Christi Dñi membra labefactem. Hereticus enim est, ut à ueteribus accepti, omnis qui aliter scripturas interpretatur, uel potius corrumpit, quam sensit spiritus sanctus, quiq; suā prauā interpretationē pertinaciter adherendo, ppugnat. A quibus malis oratio uestra fidelis sedulo me uendicare, asserere, præseruare cōtendat conspirantibus in hoc et uotis meis uel maxime. Plurimū nāq; ualet apud Deū deprecatio iusti: Tū multo est efficacior, si duo, si plures in nomine Christi cōgregati fuerint, & collatis operis commune uotum effuderint. Lucas in Acta retulit apostolorū, orantibus discipulis, ne apostoli expauescerent minas impiorū, sed potius intrepide cū omni libertate loquerentur sermonē Euangelij, locum esse commotum, in quo collecti fuerunt: nimirum ut testatū esset, illorum preces fore ratas & omnium similia in nomine Christi petentiū. Quòd si ergo me fauori & gratiæ Dei cōmendaueritis precibus uestris, bona spes est, me sic uersaturum in negotio per se imprimis arduo, longeq; supra meas uires, quemadmodū res feret uestra & mea, quemadmodum ecclesie & gloriæ Dei Censura
ecclesie
sua. quadrabit. Ceterū de omnibus dictis & factis meis cū

P R A E F A T I O A D

bona gratia me submitto censuræ ecclesiasticæ: Omnia
 uestro iudicio arbitrioq; permitto: Quod uidebitur
 iuxta spiritus & scripturarum normam de me decer-
 nite. Volo enim sacrosanctas permanere leges eccle-
 siæ, ut spiritus probentur, num ex Deo sint: ut omnia
 exanimentur, & quod bonum est, demum teneatur. No-
 lo meam paruitatē extra iudicij aleam consistere, quo
 minus uentiletur, exaninetur, elimetur, et si res postu-
 let in totum eliminetur: siquidē spiritus prophetarum
 prophetis subiiciantur. Quin uos omnes fratres & do-
 minos hortor, atq; obtestor, iudicis animū in dicta fa-
 ctāq; me a suscipite, censoriā uirgulā proferte, ad uiuū
 singulas meas sententias exigite, nihil parsuri errori-
 bus in me deprehensis. Si cui reuelatū fuerit quippiam
 uel diuersum meis dictis uel certe præstantius, surgat
 ille pro more seruato in primordijs ecclesiæ, et in me-
 dium prodeat, mihi silentium indicat, suam mentē &
 inspirationē adperiat. Vel si modestia illius nō patitur
 me palam arguere, adeat secreto, & placide fraterno
 affectu uel patrua seueritate admoncat reprehēdatūc,
 magnū beneficiū collaturus illis, quibus error & in-
 scitia mea fraudi esse queat. Me quidem ipsum adeo
 non est offensurus admonendo erudiendoq; , ut gratias
 illi sum acturus ingentes, et habiturus immortales. Nie-
 hil enim me iuuat æquē ac ueritatis splendor, nihil tan-
 tum offendit, quantum mendacium, error, inscitia. Li-

berari

berari ab illis animi pestibus, & ueritatis consortem fieri, qualibet occasione iucundum est. Modo non sit Charitatis inter nos emulatio, inuidia, odium, rancor, simultas. *studium.* Faceffant longiffime à nobis, & in barathrum Orci amandentur fufurri, fuggillationes, traductiones, de- tractationesq; clandestine. Non locum inueniant in ecclesia Dei, gentilium ftolidiffimi dij Momus atque Eris. Charitatis inter nos certamina fint, quorum est una fides, unū baptifma, unus panis & calix in com- munionē corporis Chrifti, qui fumus unius patris filij, fratres in confortium æternæ uitæ cum unigenito filio Dei adoptati, cohæredes unius regni, membra unius corporis. Vigeat, floreat, regnet, triumphet in pectō- ribus noftris charitas. Deus enim charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. Cha- ritas uero non emulatur, non perperam agit, non in- flatur, non indecore agit, non querit quæ fua funt, non irritatur, non cogitat malū, non gaudet in malicia, fed magis cōgaudet ueritati, æterna, illuftris, eximia exi- ftens femper, perfectio legis diuine, uinculū ecclefiæ, apex regni Dei & in hoc & in futuro feculo.

Porò cum fimus hodie lectionem Efaie propheta= De pro- rum facile principis aggressuri ac deinceps aliorū, fi phetia, uitam cōcefferit Dominus, & ecclefiæ rationes paffæ feu theo- fuerint, uidetur aliquid i. an de pphetia in uniuersum logia. dicendū effe, fimul ut deinde nobis enarratio planius,

P R A E F A T I O A D

celerius, clariusq; procedat, simul ut cognoscatis meū
 sensum de rebus diuinis, ac iudiciū de uerbo ueritatis
 & mendacij, & omnino de scripturis oibus tam sacris
 quā prophanis. Breuiter autem de his agā, & qua-
 tenus mea facultas huiusq; tēporis ratio patietur. Vbi
 hoc primum à uestra humanitate cupio impetratū, ut
 si quis putabit prima fronte, me uel cōtra suam opi-
 nionem, uel contra clari nominis & sanctæ existima-
 tionis uiros aliquid statuere, paulisper sententiā suam
 differat, nec statim me procacitatis aut temeritatis
 damnet, tanquam is sim, qui coner sexagenarios iu-
 uenili petulantia deturbare de ponte, aut quasi corni-
 cum oculos uelim cōfigere, qui sim talpa cæcior: Pau-
 lisper inquam is suspendat sententiam, & aures mihi
 benignas atq; animum aduertat. Spero enim sic me illi
 satis esse facturum, ut cernat in me studiū ueritatis in-
 quirendæ, nō nouitatis ostentandæ: cernat me religio-
 se addictum uerbis diuinis: cernat non contemptorem
 sanctorum & eruditorum hominū, sed studiosum esse
 discipulum. Sanctos igitur homines Dei, qui spiritus
 adflatu & instinctu mentem diuinam exposuerunt,
 uel alioqui uoluntatem cœlestis numinis exploratam
 & perspectā habuerunt, Hebraicus sermo **דברי**
 appellat. Hoc ipsum Græci serè sunt interpretati per
 uocē **νεοφάνης**, quā Latini, Germani ceteraq; gens
 Barbaræ orbis Christiani receperunt. Significat
 autem

Qui pro-
 pheta, &
 quid pro-
 pheta.

aut apud Græcos ea uox peculiariter illum, qui diuina
 mente rem præsumens, antequam eueniat edicit atque
 præfatur. Ab ijs unacum rei uocabulo cõmunis & uul-
 garis accepta est opinio, pphetas duntaxat esse præ-
 fcios, quiq; res sequẽtib; temporibus euenturas præ-
 dicere & denunciare possint. Iuxta quem significa-
 tionis captum quidam libros ueteris instrumenti diui-
 serunt atq; discrimnarunt in legales propheticos &
 historicos: uerum id non satis exacta ratione. Nam lex
 Mosaiica tractat eadẽ, quæ & cæteri propheta, ipseq;
 Moses propheta bene trito nomine uocatur, similemq;
 sui prophetam Christum uidelicet futurum promittit.
 Rursum propheta non addunt nec mutant quicquam
 in ijs, quæ per Mosen prodita sunt, tantumq; expo-
 nunt dilucidius attemperantes illa captui suorũ tem-
 porum. Sed & Dauid & Esaias & alij titulo legis ci-
 tantur in Euangelicis & apostolicis literis. In ipsis ue-
 ro historijs sacris eadem rerum iactatio quæ in Mo-
 saicis & cæterorum prophetarũ libris. Quonobrem
 illam distinctionẽ non recipit ueteris instrumenti scri-
 ptura, si exacte rationem subducamus, quum sit unica
 eiusdẽ materia, cum instrumento nouo cõsonans, unius
 authoris, unius spiritus, in unũ finem tendens, unumq;
 scopũ respectans, nempe ut sacramenta uoluntatis di-
 uinæ mortaliũ generi exponatur, quo cognoscant unũ
 Deũ uerũ creatorẽ cœli & terræ, illiusq; beneplacitũ

Diuisio sa-
 crorum li-
 brorum.

PRÆFATIO AD

eternum, & quem misit Iesum Christum: Quæ est uita
 æterna. Significat quidem Græca uox προφήτης
 proprie diuinum & uatem, qui rerum euentum præ-
 nunciat. Cōposita enim uox est ex πρό, quod præ uel
 ante significat, & φημι dico seu loquor. Quanq̃ ista
 uox magis ecclesiasticorū usu protrita est, quam alio-
 rum, qui maluerūt his uocibus uti προφήτης μάντις
 θεο πρόωος, θεός τις θεοπέσιος χησώς, & si quod
 aliud est eiusdem significati uocabulū. Cæterum pro-
 pheta seu פרוי in diuino eloquio nō is solum dicitur,
 qui res in sequentibus temporibus euenturas præscit
 & prænunciat, sed quicūq; haud uulgariter conscius
 est mentis diuinæ, interpretes uidelicet atq; internūcius
 coelestis numinis, quiq; arcana uoluntatis & abstru-
 sa ingenij diuini perspecta & p̃dita habet, seu occulta
 inspiratione & suggestione sacri flaminis, seu per uisa
 tum uigilantibus tum quiescentibus obiecta, seu uoce
 coelesti per angelos aut alio quouis arcano modo ad
 sensus perlata non solum de futuris sed etiam de rebus
 presentibus & præteritis. Illi etiā pphetarū nomine
 censentur, qui de rebus interrogatis & propositis,
 edocti per uocē scriptilem uoluntatē Dei possunt ex-
 ponere replicantes sup ijs sacrorū uoluminū decreta,
 & rerū gestarū memorias. Sed et illi, q̃ sacras scriptu-
 ras enarrādo enucleandoq; mētes hominū de uolūtate
 ac sententia Dei formant & instruunt. Nec nō qui tū
 lectionibus

lectionibus tū acroamatis & auscultationibus arcane scripturæ præcipuo studio dediti sunt. Hos omnes homines circa uoluntatis diuinæ perquisitionem occupatos Hebræi comprehendentes unius nominis ambitu **נביאים** quemadmodum diximus ferme appellant. Interdum κατ' ἐπινοηµασιαν **חז"ק** uidentes nominant, quod sagaci in rebus diuinis mente uideant, quæ uulgares animos lateant. Eorum disciplina, doctrina, institutum & professio tum **נבואה** prophetia, tū **חז"ק** uisio uocitatur. Sed & pro diuersitate materiæ subiectæ, prout læta, tristia, iucunda, uel acerba denunciatur, iam onus, iam uirga, iam alijs mutuatitijis nominibus designatur. Quin producti iam in aciem, aut instatione positi, ut speculentur, explorent, provideant, ne qua mala populum inuadant, ne qua labes morum & pestes animorum irreparent, ne insidijs ullis homines concrediti pateant, aut si iam corripuerunt populum mala, tum non sinant longius serpere, sed opprimant, euellant, tollant, medeantur, hi **צופים** speculatores, uigiles, excubitores & episcopi uocantur. In sermone latino hæc hominum diuinorum genera non possunt ita commode nominis societate coniungi, nisi quis uelit appellare conscios mentis diuinæ, peritos uoluntatis Dei, professos sapientiam cœlestem, doctos rerum arcanarum, imbutos sacramentis diuinitatis, & similia. In lingua Græc

P R A E F A T I O A D

Genera
prophe-
tarum &
functiones
ecclesiae
isticae.

eorum non absurde, ut reor, simul θεολογοι dici pos-
sunt, utputa qui modum, uiam, rationemq; teneant
tum recte sentiendi, tum rite, pie, religiose, sancte, pro-
beq; differendi de Deo & rebus diuinis. θεός enim
Deus & λόγος uel sermo uel ratio interpretatur. Eorū
disciplina, institutum, professio, & functio θεολογία
nominetur. Verum has diuini spiritus administratio-
nes omnes & nominis & rei propinquitate coniun-
ctas esse in eloquio Dei, nemo credat mihi, nisi prius
uideat clare, quadrare ueritati, adstrui dictis patrum,
fulciri & stabiliri uerbis sanctarum scripturarum.
De primo quidem significato nemini dubium est uel
mediocriter initiato nostrae religionis institutionibus,
prophetam illum dici, qui res euenturas mente praes-
agit aut uoce praenunciat. Ut cum propheta Eze-
chiel in speculam constituitur, ex qua circumspiciat
ingruentia mala, imminensq; periculum in tempore
denunciet. Eodem modo Agabus ut est relatum in
actis apostolorum, famem futuram praedicit, & ob id
propheta dictus est. Sic Dominus in euangelio Ioan-
nem appellat prophetam, aut etiam plusq; prophe-
tam, quippe qui digito praesentem indicaret, quem
superiores praedixerant insequentibus saeculis uentu-
rum. Sed & muliercula Samaritana in euangelio se-
cundum Ioannem, proclamat Christum esse prophe-
tam, qui arcana pectoris illius adperuisset. Interpre-
tes

tes uero diuinarum scripturarū prophetas adpellari, duobus apostoli Pauli testimonijs ostendisse, addita præstatiū theologorum expositione, sat fuerit. Prius testimonium est in priore ad Corinthios epistola, ubi mirabilis ille doctor ecclesie uolens pacem constantē inter Christianos conciliare, duo uitia maxime illi contraria nititur euellere, puta inuidiam inferiorum, & fastum atq; contemptum superiorum. Introducta igitur similitudine corporis humani docet diuersa esse inter se membrorum officia, quedam honestiora, quedam uiliora, pulcherrime tamen inter ea conuenire: non pedes inuidere oculis, auribus, naribus, non oculum & aures & nares contemnere pedum officia, sed mutuas operas inter se conferre: omnia esse in ministerio, omnium esse magnas & necessarias commoditates: ut si unum membrum cesset aut pereat, mox quoq; totius corporis integritas labefactetur. Eodem pacto ait in corpore Christi, quod est ecclesia, diuersas esse functiones & ministeria diuersaq; charismata spiritus, non quod uni plura interdum nō adsint, sed quod quisq; in uno emineat & eo præcipue commoditatibus ecclesie inseruiat: Omnia uero ista munera non esse contemnenda, non inuidenda, utpote secundum beneplacitum Dei distributa ad honorem nominis sui, & usus ecclesie. Verba ipsius Pauli hæc sunt: Posuit Deus in ecclesia primum apo-

PRÆFATIO AD

stolos, deinde prophetas, dein doctores, tum uirtutes,
 exinde gratiam sanationum, opitulationes, gubernationes,
 genera linguarū, interpretationes sermonum. Nunquid omnes apostoli? nūquid omnes prophetae?
 nunquid omnes doctores? nunquid omnes uirtutes?
 nunquid omnes gratiam habent curationum? nūquid
 omnes linguis loquuntur? nunquid omnes interpre-
 tantur? His ad extremum subdit, uti pariter amulenta-
 tur charismata potiora, nempe fraternam charitatem.
 Diui Ambrosij uerba super his apostoli dictis strictim
 & saltuatiim subiiciam, prout instituto nostro conue-
 niēt. Caput, ait, in ecclesia posuit apostolos, qui legati
 Christi sunt. Ipsi sunt episcopi firmante istud Petro
 apostolo, & dicente inter cætera de Iuda, & episco-
 patum eius accipiet alter. Prophetias duplici genere
 intelligimus, & futura dicentes & scripturas reue-
 lantes. Quāuis sint & apostoli prophetae, quia pri-
 mus gradus omnia subiecta habet. Doctores illos dicit,
 qui in ecclesia literis et lectionibus retinendis imbue-
 bant more synagoga, quia traditio illorū ad nos tran-
 situm fecit. D. Hieronymus annotauit ad eundem lo-
 cum, prophetas dici, qui explanent obscura prophe-
 tarum, & qui homines exhortentur. Alterum Pauli
 testimonium ex epistola Ephesijs scripta in eandem
 sententiam tendit, quod sic habet. Ipse dedit quosdam
 apostolos, quosdā prophetas, alios euangelistas, alios
 pastores,

pastores & magistros ad instructionem sanctorum in opus ministerij, ad ædificationem corporis Christi, donec occuramus omnes in unitate fidei & cognitionis filij Dei in uirum perfectum in mensuram ætatis plenitudinis Christi. Hoc ipsum exponens Hieronymus ait: Posuit siue dedit pater & filius primo apostolos, secundo prophetas non illos, qui futura uaticinentur, quales in ueteri legimus testamento, sed qui infideles & imperitos arguant atq; dijudicent. Tales quippe prophetas noui testamenti in alia epistola esse definit. Et mox infra. Nō ait alios pastores & alios magistros, sed alios pastores & magistros, ut qui pastor est, esse debeat & magister: nec in ecclesijs quāuis sanctus sit, pastoris sibi nomen assumere, nisi possit docere, quos pascit. Vel certe aliter, ut unus atq; idem præses ecclesiæ sit pastor & doctor, pastor ouium, magister hominum. Super ijs apostoli uerbis Ambrosius ita cōmentatur. Apostoli episcopi sunt, propheta uero explanatores sunt scripturarum: quāuis inter ipsa primordia fuerint propheta sicut Agabus & quatuor uirgines prophetantes, sicuti cōtinetur in Actis apostolorum, sed propter rudimenta fidei commendanda. Nunc autē interpretes propheta dicuntur. Et postea. Inter istos post episcopum plus esse intelligitur, qui propter reuerentiam occultum scripturarum sensum prophetare dicitur, præsertim quia futuræ spei uerba

P R A E F A T I O A D I A C C U

depromit, Qui ordo nunc potest esse presbyterij. Nā
 in episcopo omnes ordines sunt. Quia primus sacer-
 dos est, hoc est, princeps sacerdotum, & propheta,
 & euangelista, & cætera, ad implenda officia eccle-
 sie in ministerio fidelium. Tamen postquā omni-
 bus locis ecclesie sunt constituta & officia ordinata,
 aliter cōposita res est, quam cœperat. Ex quibus om-
 nibus perspicuū fit, unū homini posse plures donatio-
 nes contingere, item interpretes scripturarum pro-
 phetas dici, sed & illud, doctores, magistros, episco-
 pos, pastores, apostolos, euangelistas cum prophetico
 munere coniunctionem habere. Superest, ut ostenda-
 tur etiam deditos scripturarum studio prophetas dici.
 Hoc abunde satis uel una sanctissimi Pauli sententia
 cōuicerit, qui sic scribit 11. capite prioris ad Corinth.
 epistole: Mulier orans aut prophetans uelato sit ca-
 pite. Quo loco docet apostolus, qui mores deceant in
 publico & sacris concionibus. Etenim quia dicit in
 sequentibus uerbis se non permittere foeminis, ut lo-
 quantur, aut doceant in ecclesia, sed domi suos ma-
 ritos interrogent, clarum est utiq; non hoc loco pro-
 phetiam dici de rebus futuris sermonem, nec scriptu-
 rarum publicam enarrationem, sed studium & atten-
 tionem ad sacras lectiones & conciones. Tametsi
 Hieronymus interpretatur, prophetans, domi uideli-
 licet aut in sexu suo. Verum, quod cum gratia tanti
 uiri

viri dixerim, Paulus non facit mulieribus potestatem
 uel in sexu suo uel inter uiros publicitus docendi, sed
 in uniuersum iubet tacere. Et isto loco non de priuata
 domo sermo est, sed de sacris conuentibus. Atq; hæc
 ferme genera prophetarum sunt, hoc inter se com-
 mune habentia, quòd prophetae sunt mentis diuinæ
 & cœlestis numinis conscij, quacūq; tandem ratione,
 quocūq; infundibulo imbuti & edocti. Episcopi
ueri & pas-
tores. Primarij uero
 & uelut antesignani sunt mystæ illi ac interpretes
 inter nuncijsq; amplissimæ Dei maiestatis, quorū mi-
 nus graphice describit Ezechiel tertio capite, docto-
 res & oratores sacri, moderatores animorum, magi-
 stri uitæ, censores morum, proflgatores uitiorum, cul-
 tores uirtutum, propugnatores ueritatis, hostes uani-
 tatis, impugnatores mendacij, medici spirituales, uigi-
 les, custodes, pastores animarum, agricolæ, dispensa-
 toresq; in domo Dei. Sal terræ qui genus mortalium,
 tum uitæ austeritate, tū sinceritate doctrinæ à uitio-
 rum corruptionibus uendicet atq; conseruet. Lumina
 mundi, quæ errorum tenebras, inscitie nebulas, igno-
 rantie caliginem dispellant & auferant. Sancta utiq;
 honesta, insignis, eximia, utilis et necessaria professio.
 Quam qui tollere conatur, solem è mundo tollere
 conatur: qui cōtra nititur, præcipuo bonitatis & sa-
 pientie diuinæ muneri sese opponit: Qui contemnit
 in summam suam ipsius perniciem Deum contemnit,

Sapientes
Ethnicorum.

Et illius in nulla re fallax iudicium atq; institutum. Ait enim saluator: Qui uos audit, me audit: Qui uos contemnit, me contemnit, imò non me tantum cõtemnit, sed patrem, qui me misit. Fuerunt sanè omnibus temporibus fermè in omnibus nationibus non solum per humanitatis artes cultis sed etiam barbaris, homines singulares et præstantes, qui uel ob uitæ innocentis prærogatiuam, uel ob existimationem præstabili prudentiæ tum usu rerum, tum doctrinis artium liberalium paratæ, plurimum apud ætatis suæ homines et apud posteros autoritate polluerunt. His quum crederentur esse uiri boni et eximiam rerû diuinarum atq; humanarum peperisse cognitionem, instinctu quodã naturæ se regendos homines pmiserunt, ac uelut ducibus uitæ recte, honeste ritæq; transigendæ cõcrediderunt. In horum dicta consensum est: in eorum sententias et decreta pedibus itum est: Eorum consilio negotia suscepta, illorum prudētia et opera gesta, ex illorum arbitrio confecta uel deposita sunt: Horum præceptis obtemperatum est in rebus publicis et priuatis, sacris et prophanis. Atq; hoc ciuitatibus, populis, regnis, salutare semper fuisse cõpertum est, si hominum bonorû et sapientium monita sequerentur. Rursum perniciosissimû semper fuit, et maximis calamitatibus, periculis, miserijs, infamia, extrema deniq; infelicitate stetit priuatis, primatibus, regibus, ciuitatibus.

civitatibus & imperijs, tam idoneos consultores con-
 tempisse atq; neglexisse. Vnde putemus autē illos si-
 miles rerum exitus prodixisse? unde illam negotiorum
 constantiam? unde illam in temporibus & locis diuer-
 sis similitudinem? Nimirum ex mente superni nu-
 minis, quam isti quoq; uiri præstabiles aliqua ex parte
 introspexerant. Etenim Deus, quem multo magis ne-
 cessum est, esse commune bonum, quam sapientem ut
 Platoni uisum est, nihil extra suam bonitatē & pro-
 uidentiam reliquit, omnibus prospicit & moderatur,
 omnia gubernat, ac ne consistere quidem aliquid po-
 test extra ipsum. In ipso sumus, agimus, & mouemur.
 Ex omnibus autem populis unū uelut peculiarem de-
 legit, in quo manifestius cōspiciendum exhiberet, quæ
 sit ipsius immensa bonitas, iusticia, sapientia, potentia,
 Deus tamen existens in omnibus gentibus, nullos re-
 linquens sui expertes, omnibus se fruendum præbens,
 omnibus se quadamtenus adperiens, alijs propius, alijs
 uelut de longinquo, alijs clare et dilucide, alijs ceu per
 somnium, per transfennam, per nebulam, per corpus
 aliquod diaphanon. Is igitur Deus commune bonū ue-
 ritatis, hoc est, sui ipsius usum fructum concessit etiam
 Ethnicis hominibus, & leges illis fixit, non in æs aut
 lapidem incisas, sed scriptas & impressas in corda il-
 lorum. Quæ quoniam sunt insitæ & ingeneratæ pec-
 toribus humanis à rerū omnium opifice Deo, proinde

Prouidentia diuina.

Leges naturæ et ratio.

P R A E F A T I O A D

leges naturæ uocantur. Particulæ sunt istæ procul dubio de uoluntate propositoq; & eterno instituto Dei defectæ. Ad has ideas ueritatis informauerunt sensa sua uiri isti præclari: ad eas tanquam normam & regulam expenderunt ac direxerunt rationem uiuendi. Inde morum præcepta, inde agendi consilia, inde ad omnes partes uitæ muniendas dictata sumpserunt: ut illorum iussa & monita capessere, stare legibus Dei natiuis esset, transilire uero hæc rationis septa, prætereire decreta Dei censeatur. Fuit ergo merito & secundum exactissimum diuini iudicij examen, in præstando laus & felicitas, in contemnendo illorum placita scita & monita, pœna atq; supplicium. Non domi nobis ista philosophia nata est, sed ex instructissimo diuini Pauli penu accepta & deprompta, qui perspicue satis illam rem disputat in literis apostolicis ad Romanos, cuius hæc uerba in præsens sufficiunt. *Iis, ait, qui sunt contentiosi, & qui ueritati non obtemperant, sed obtemperant iniusticiæ, uentura est ira, & afflictio, & anxietas aduersus omnem animam hominis perpetrantis malum Iudæi primum simul & Græci: Gloria uero, & honor, & pax omni operanti bonum Iudæo primum & Græco. Non est enim personarum respectus apud Deum, Quicumq; enim sine lege peccauerūt, sine lege peribunt, et quicumq; in lege peccauerunt, per legem iudicabuntur. Non enim auditores*

ditores legis iusti sunt apud Deū, sed factores legis iustificabuntur. Cum enī gens, quæ legem non habent, natura quæ legis sunt, faciunt, eam legem non habentes sibiipsis sunt lex, qui ostendūt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum, & inter se cogitationibus accusantibus aut excusantibus in die, quo iudicabit Deus occulta hominum. Et paulò post. Si præputium iusticias legis custodierit, nonne præputium illius in circumcissionē reputabitur? & iudicabit id, quod est ex natura præputium, si legem seruauerit, te, qui per literam & circumcissionem præuicator es legis? Non enim qui in manifesto Iudæus est, Iudæus est, nec ea quæ sit in manifesto carnis circumcisio, circūcisio est: Verum ille, qui in abscondito Iudæus est, & circūcisio cordis in spiritu non litera, cuius laus non ex hominibus, sed ex Deo est. In primo uero capite huius epistolæ palam prænuntiat, Deum manifestauisse gentibus ueritatē, sed plerosq; ueritatē in mendacio detinuisse. Planū ergo putō ex sacris eloquijs Dei ueritatē quoq; gentibus aliqua ex parte proditā, & legē naturālē eadem præcipere, quæ & lex per Mosē lata, cuius promulgationē quingentes cōtempserunt merito pœna secuta est, quū sequuti sunt dogmata sapientiū & bonorū uirorum ad eam natiuam legem directā, honor, laus, felicitas à Deo concessa est. Atq; isti humanarum rerum exitus

P R A E F A T I O . A D

Historie. leti, tristes, honesti aut pudendi, administrationes item negotiorum & consilia, historiarū scriptores, memorie posterorū consecrarunt & prodiderunt. Ceterū legū istarū naturalium, quas Deus pectoribus humanis indidit *νομοφύλακες* & executores haberi possunt, apud Indos Bragmanes et Gymnosophistæ, apud Persæ tria magorum genera, apud Aegyptios sacerdotes Hierophantæ, apud Græcos & Latinos philosophi, apud Gallos Dryidæ. Fuerunt & in diuersis locis Sibyllæ fœminæ, quæ reconditam ueritatis cognitionem sunt professæ. Germanorū quidem religio nimis stolidæ & ridiculæ in hoc uideri potest, quod in uniuersum muliebri sexui diuinitatem promiscue tribuerunt. In hoc porrò uitæ humanæ magisterio rectissime numerabuntur insignes legum latores Charondas, Minos, Lycurgus, Solon, Draco: Tum si qui alij fuerunt apud diuersas nationes homines ingenio præstanti ac honesto uitæ proposito: qualis apud Scythas Anacharsis, qualis apud Gallos Hercules ille, qui homines Gallos in suam sententiam oratione trahebat, tanquam si essent omnes ad os illius una cathena deuincti. Oraculorum uero responsa neutiq̃ ad ueritatis professionē admittenda esse puto, quibus ut machina ualidissima cacodæmon ueritatis hostis usus est, ad mentes hominū illaqueandas & à ueritate ad mendaciū, à Deo ad creaturā, auertendas. Nam licet multa uere

ta uere protulerint, non tamen id mali demones ege-
 runt intuitu & studio ueritatis, sed quū per se men-
 dacium sit infirmum, uoluerunt id firmare admixtis
 sermonibus ueritatis, & laqueum sub specie ueri la-
 tentem in collum improuidorū inijcere. quemadmo-
 dum ille Sinon Virgilianus multa uera dicit, ut unum
 Troianis exitiale mendaciū persuadeat atq; insinuet.
 Et cacodemon Christo Domino scripturarum testi-
 monia proponit, ut à placitis Dei transuersum abdu-
 ceret. Primum profecto ut opinor, apud Ethnicos in
 ista uitæ informatione poëtae obtinent, qui mentē sum- Poëtae.
 mi manibus excellenter cognitam & exploratam ha-
 bere crediti sunt. Inspirariq; à flamme quodam sacro
 & per εὐθουσιάζουσιν pres utiles hominibus prodere
 existimatum est, sicut Ouidius gloriatur, inquit: Est
 Deus in nobis agitante calescimus illo: Sedibus aeth-
 reis spiritus ille uenit. Hi uates & sacri & diuini &
 Apollinis sacerdotes habiti sunt. Quin Paulus no-
 ster in literis ad Titum poëtam Epimenidem seu Me-
 nandrum aduocans titulo prophetae illū citat, eò quòd
 apud Ethnicos essent eo loco poëtae, quo sunt in nostra
 religione prophetae. Primi sanè poëtarū Museus, Or-
 pheus, Linus theologiam sunt professi: & Hesiodus
 Ascreus genealogiam deorum recenset. Omnium uero
 cōmune studiū fuit utilia uitæ sermonis illecebris tra-
 dere, & salubrē institutionis haustū melle saccharoq;

PRAEFATIO AD

edulcatum porrigere. Virtutis fuerunt si minus cultores, at laudatores, at ebuccinatores strenui, & uitiorum insectatores acerrimi. Eupolis atq; Cratinus Aristophanesq; poëtae, atque alij, quorum comœdia prius uirorum est, si quis erat dignus describi, quòd malus aut fur, quòd mœchus foret, aut sicarius, aut alioqui famosus, multa cum libertate notabant. Quid poetarũ satyræ an non uidentur æmulari sacras conuersiones, meræ taxationes uitiorum & uirtutum commendationes? in quibus reperire est plus sanctitatis, plus eruditionis, plus sapientiæ, plus omnino bonæ frugis, quàm in quorundã matæologorum non theologorum prolixis summis & ingentibus centonum fasciculis. Multum profecto isti nobiles homines etati suæ, multum posteris profuerunt. Poëtarum monitis adolescentium lasciuiua composita est, ferocia repressa, iudicium formatum, mentis prauitas correctæ & emendata est. Poëta publicus uitiorum traductor & manifestarius fuit, magnus furũ timor ac nebulorum, ut uel minus uel certe occultius & uerecundius peccaretur. Vnde sunt istæ monitiones hominum sceleris conscientia exagitorũ, fuge hunc, fenum in cornu habet, poëtam uidelicet designantium uni uirtuti equũ & uirtutis amicus. Legum uero latio & cultus, rerum publicarũ semper fuit certissima salus & conseruatio,

seruatio, ut M. Cicero copiose differit pro Cluentio.
 Ipsius uero philosophiæ moderamen adeò necessariū
 usu cōpererunt, ut sapientissimus Plato pronunciet,
 eas demum respublicas et ciuitates felices fore, in qui-
 bus uel principes philosophentur, uel philosophi pu- Corrupte
philoso-
phiæ gentis
lium.
 blicis muneribus fungantur. At inuenti sunt ex illis
 doctoribus multi impostores dicat aliquis. Nemo ne-
 gauerit fuisse multos in illis homines nequam & ma-
 lis affectionibus deprauatos, qui ueritatis & istarum
 natiuarum legum promulgationem professi rem suam
 agere tentauerunt, quiq; corruptas, scædas & pesti-
 lentes opiniones inter homines sparserunt, haud secus
 atq; apud nostrates omnibus seculis fuerunt, & inue-
 nientur semper pseudoprophetae & pseudoapostoli.
 Quorum placita recepta sunt & propugnata ab ho-
 minibus corruptæ ac prauæ mentis, ut uidelicet habe-
 rent similes labra lactucas. Ab istis uero de meliori
 nota hominibus, qui ueri & honesti specie permoue-
 bantur, repudiata sunt, quum uiderent stulta, turpia,
 tetra, ueritati pugnantia, non cōformia rationi, mini-
 meq; ad normas illas iusticiarum legum quadrantia. Vfus lites
rarum gens
tilium.
 Ex illorum autem libris, qui boni uiri esse & habe-
 ri uoluerunt, ueritatisq; indefessi scrutatores, & uir-
 tutis strenui satellites, multū decerpi potest, quod uitā
 nostrā excolat, instruat, formet, ab omni parte muniat,

P R A E F A T I O A D

in rebus corpus, famam fortunâq; concernentibus. Multa etiâ ab illis dicuntur de Deo, sacris dogmatibus consona. Ea putauerunt maiores nostri furta esse de uoluminum sacrorum thesauris, & proin iure petenda recuperatorio, atque ab illis transferenda cetera ab iniustis possessoribus. Imò existimentur iste ueritates omnes, dona caelestis patris: existimentur semina iusti & ueri, coelitus in agellum pectoris humani demissa. Vt enim Deus largus est, & munificus, minimeq; inuidus, noluit istos etiam homines à ueritate, hoc est, præstantissimæ rei participatu excludere. Quid dico noluit excludere? Maxime cupit, ut uerbum ipsius docet, omnes homines ad cognitionem ueritatis magnis passibus contendere, ac salutis aeternæ consortes fieri, modo agnoscerent stulti homines beneficium ulro sibi oblatum, modo non dissimularent ingrati: sed porrectum amplecterentur. Ea pulcherrima Dei munera, quum uideamus apud ingratos & stolidos homines iacere neglecta & contempta, reportemus in domum nostri patris caelestis, non quòd necesse sit ab exteris nos edoceri, quid sentiamus de illo, quid à nobis requirat, quid abominetur, quum simus ciues, domestici, filij familias, & sermonibus ipsius familiariter adsueti. Verum ut dixi miserti sortis talium donorum, recipiamus illa & uendicemus, ne situ marcescant, atque in domo Dei honeste reponamus.

reponamus Valent ista quoq; non parum ad exci-
 tandam nostrorum hominum industriam & illorum
 socordiam exagitandam, qui uentri, somno, ambitioni
 pecunijs, libidinibus dediti non minimam uitæ partem
 ueritatis perquisitioni tribuunt, cui studio totam ui-
 tam nobiles istæ animæ impenderunt. Illa uero con-
 quirere non est puerilis operis, nec est negotium im-
 peritorum aut infirmorum, qui & ipsum uniuersum
 paternæ domus instrumentū in suam perniciē uerte-
 rent, si permittantur ex arbitrio suo agere. Adultio-
 rum hæc est opera, qui uniuersam patris supellectilem
 exploratam & probe cognitam habent, qui animo
 sunt bene instituti, quiq; iudicio firmati, ne aliena pro
 domesticis, uana pro ueris, perniciosa pro salutaribus
 apprehendant. Ingenerauit quidem clementissimus
 Deus semina ueritatis gentibus, uerū illa sæpe tribu-
 lis, spinis, sentibusq; circumsepta sunt, ut parum caute
 inquirentium pedes cōfodiuntur, sæpe sunt corrupta,
 sæpe deperdita & ad nihilum uel soli uitio, uel culto-
 rum negligentia redacta. Queritur aurū in stercore:
 argentum in periculosissimis metallis: gemmæ inter
 basiliscos & scorpiones. Sole autem diuinæ & planè
 sacræ literæ continent eloquium Dei purum, infinitis
 partibus excellens aurum septies conflatum: merum
 habent sermonem uitæ: limpidissimi fontes sunt aqua-
 rum cœlestis sapientiæ. Nihil in illis noxium, nulla

Sacrarum
 literarum
 præstantia:

P R A E F A T I O A D

insidiæ formidandæ sunt. In his se Deus aperit recto corde querētibus, paulatim quidē, sed quantū abunde satis est ad salutem æternam consequendam. Lucerna hæc est pedibus nostris, & lumen semitis nostris. Illis nos ducibus certissimis credemus & quidē bona fide. Certa enim nos ducent uia & solida & rectissima, sine erroribus, sine ambagibus, quo cognoscamus quod clemens sit Deus, quàm benignus, longanimis, patiens, misericors, iustus, potens, unice bonus unice sapiens quæquæ sunt aliæ ipsius uirtutes præstantissimæ, quas utcumquæ uerbis nostri captus imbecillitas denominat, sed ne quidem rectis luminibus intueri potest adhuc nostra mortalitas, ut discamus etiã, quo cultu illi maxime probemur, nimirum qui naturam illius & ingenium proxime referat, prout nostra infirmitas adspirare potest, positus in puris affectibus, in iustis uotis, in fiducia erga Deum, in timore liberali, in amore erga illū eximio, deniq; ut nos fiamus proximo, quod ipse cunctis est mortalibus, uere iuxta Græcorū pro- uerbum, homines hominibus dij, consulendo, prouidendo, tuendo, adiuuando, inopias omnium subleuando, quatenus ferent nostræ uires & facultates. Nihil agamus, nihil instituamus inconsultis illis optimis magistris. Nunquam enim in hoc pelago mundi nabimus sine illo cortice. Non spernamus istos duces tanquam
superuas

Superuacuos: nunquam fidamus nobis ceu gnaris itin-
 nerū nunquam dimoueamus ab eis oculos in hac terra
 aliena, donec in patriam redierimus, in Hierusalem,
 que sursum est: donec ex specula montis Zion omnes
 res mundi sublimes despiciamus: donec introducti in
 sanctum sanctorū opes diuinitatis penitissime coram
 intueamur, quas nunc ex parte cognoscimus per spe-
 culum in enigmate. Hanc scripturā, hunc sermonem
 propheticum Deus certo condidit, quo quid sapien-
 tius? quid benignius & liberalius? quid certius? quid
 ab omni fraude alienius? Etenim Deus optimus maxi-
 mus ab aeterno existens, in se omnia continebat, ad
 omnia sibi sufficebat, prorsum nullius rei erat indi-
 gus, nisi quod optimus existens uidetur illis indignisse,
 qui bonitatis eius fierent participes, quiq; fruere-
 tur istis opibus coelestis numinis. Tanto enim præ-
 stantius unum quodque bonum est, quanto latius pat-
 tet. Condit ergo uerbo uirtutis suæ coelum & ter-
 ram & mare, instructissima quidem illa & mirifice
 adornata. Mox & hominem producit ita formatum,
 ut maxime fieri particeps bonitatis illius immense
 posset. Ex omnibus uero nihil amplius, nihil præstan-
 tius obtingere potuit homini, quam si Deus se ap-
 periret illi, ac uelut in theatro spectandum exhibe-
 ret. Inserta est igitur illi uis animi præstantior præter

Author li-
 terarū fan-
 tarum &
 origo.

PRÆFATIO AD

conditionem cæterorum animantium, qua rerum omnium pulchritudinem, ordinem, modum, ortus, progressus, occasus, & totam qua condita sunt, indolem persentisceret. Eam rationem uocamus indagatricem, quid ratum, quid irritum sit in omnibus negotiis, cæpacem quoque numinis, quod se proferebat illis $\pi\rho\omega\tau\omicron\varsigma$ & $\lambda\acute{\alpha}\sigma\omicron\tau\omicron\varsigma$. Par est hunc credi esse igniculum de mente creatoris omnium Dei mortali pectore inditum, aut faciem Dei repercussam in humana mente. Ita conditis Adam & Eua disserit & confert Deus sermones cum illis familiariter. Ingratus tamen homo tantæ bonitatis immemor esse potest, ac plus propensus ad animi partem appetentem iuxta brutorum conditionem, quam ad illam dijudicatricem cum Deo communem, spreto & neglecto creatoris uerbo, tortuosi serpentis mendacia sequitur. Plus etiam uult sapere, quam Deus ultro uoluisset adperire, parim non solidam ueritatem & constantiam in dictis & factis Deo tribuens, qui solus uerax nec errare nec fallere potest, partim suggillans eum inuidentiæ, qui est ipsa bonitas, quasi aliquid abstrusisset cognitu iucundum utile aut necessarium, partim superbia elatus, qui uellet parem cum Deo sapientiam possidere. Sed confestim magno suo & posterorum malo ueracem cognoscit Deum, & neglectæ ueritatis, ut grauissimam, ita iustissimam luit pœnam. Non potest tamen seipsum abnegare Deus,

quoniam

Causa
ignorantiæ

quim placidus & benignus sit. Redit cum illis primis
 hominibus in gratiam, condonat erratū, sed miseriam
 iuste inflictam non prorsum abstergit, pollicetur au-
 tem semen, quod caput serpentis conterat, & collidat
 in quo restituat omnia, in quo benedicantur omnes
 gentes, per quod omnes qui amplexati fuerint illud
 post exantlatos labores & ærumnas, in pristinum
 statum redeāt, alijsq; de rebus amicè cum illis sermo-
 cinatur. Illos patriarchas prophetarū quis recte ap-
 pellauerit. Inde Abel, Enoch, & alij familiares inter-
 pretes sunt cœlestis numinis. Tum Noë multos an-
 nos iram Dei hominibus denunciatur, ni respiscant.
 Sed genus hoc mortalium admodum degener & cor-
 ruptum, quia uerbo Dei sanari non uult, per undas
 diluuij deletur, ipso Noe seruato cum paucis, qui ueri-
 tati adhaeserant. Per diluuium Noë uelut tradux est
 prophetia, qui compositis iterū inter Deum & ho-
 mines rebus, & præterita opera promissionesq; Dei
 commemorat, & de præsentibus futurisq; rebus eta-
 tis suæ homines edocet. Subsequuntur Abraham, Isaac,
 Iacob atq; alij patriarchæ, qui negotia diuinæ maie-
 statis erga genus mortalium multis sæculis intercon-
 ciliarunt. Porrò quia Sathanas ab initio statim in Causa lites
 ueritate non perstiterat, & callide uerba Dei eterna raturæ dis
 interpretando, detorquendo, adulterando, immutando uina,
 tetues nimis & uanos primorum parentum animos.

PRAEFATIO AD

d ueritate ad mendacium deflexerat, uitiaq; mortali-
 lium pectorum indies magis magisq; inualecebant,
 facile prauidit sapientia Dei periculum fore, ut dia-
 bolus & eius secta sectati multa illi affingerent uana,
 falsa, comenticia, ridicula, absurda, deformia, quibus
 eius mandatum & aeternam uoluntatem mutarent,
 & peruerterent. Censet igitur aduenisse tempus, quo
 sermonem propheticum hactenus familiari colloquio
 traditum aeternis quoq; literarum monumentis con-
 deret, simul ut mendaciorum patri & eius filijs, ho-
 minibus dico prauis ansa praecideretur, uana & deri-
 dicula de Deo cominiscendi, simul ut pie mentes filio-
 rum Dei certa persuasione scirent uelut ex obsignatis
 tabulis se tenere ipsam Dei mentem & sermonem,
 quo seipse exposuisset, non commenta hominum, qui
 caecutiunt, & caligant ad ueritatis tutum, qui fallunt
 & falluntur, qui dolis plerumq; & fraudibus impo-
 sturis & circumscriptionibus agunt, uitio scilicet
 φιλαυτίας excacati. Oportuit autem istum sermo-
 nem de Deo & illius aeterno beneplacito, cui de no-
 strae salutis summa crederemus, ad quem tenderemus
 per tela, per ignes, pro quo pugnaremus maiori stu-
 dio, quam pro parentibus, coniugibus, liberis, amicis,
 pro focis & aris, quem profiterentur homines cum
 fortunariū, existimationis, sanguinis & uitae dispen-
 dio, cum inquam sermonem necesse fuit dictari a Deo
 benignissimo,

benignissimo, ut esset plenissimus & absolutus: à ue-
 racissimo, ut constaret de illius certitudine, à sapien-
 tissimo & soli sibi domestice noto, ut exactus esset:
 ab omnipotente, ut in omnia sæcula cõfirmatus omni
 dubitatione sublata, nosceretur. Oportuit etiam pro-
 ferri per homines insignes, integerrimæ uitæ, ac spe-
 ctatissimæ fidei. Deligitur ergo Moses fidelissimus in *Instrumentum uetus.*
 omni domo Dei, qui æternam Dei uoluntatem antea
 modis arcanis & familiari colloquio proditum in li-
 teras demitteret, scriptoq; comprehenderet, semel
 omnem posteritatem docens, quod nan sit ingenium
 Dei, quæ illius decreta immobilia, quibus rebus uelit
 eoli, quasue auersetur: quem sermonem præterire ac
 negligere infelicitas sit, obtemperare uita æterna, illi
 adijcere, detrahere, aut mutare, summum scelus &
 piaculum. Eam deinde scripturam Iosue per manus
 traditam conseruat, tuetur, urget, & exequitur ut
 strenuus ἐργασίας. Ab eo deinceps alij per suc-
 cessionem usque ad tempora Samuëlis. Tunc ma-
 gnus fuit prophetarum prouentus, & scholæ ap-
 pertæ sunt atque cœlestis illa philosophia in pro-
 fesso haberi cœpta est. Non autem ab ijs hominibus
 diuinis de integro sermo propheticus excuditur, nec
 superioribus adijcitur, nihil que ex illis immutatur.
 Sed olim tradita isti sancti homines disputabant,

PRAEFATIO AD

uentilabant, discutiebant, explicabant deficiente in dies in hominibus acumine ad res diuinas cognoscendas. Patribus tradita, suis temporibus conformabant & adaptabant, de futura etiam salute calculum sui testimonij adijcientes. Horum prophetarum facta & sermones, quantum nostra scire interest, sacris historijs comprehensum est. Sunt etiam in diuersis temporibus instigati & à Deo impulsì uiri præstabiles, qui suos ἐνθουσιασμοῦς & sacratissimas inspirationes librorū monimentis ad posteritatis doctrinam transmitteret Esaias, Hieremias, David, Daniel et alij. Nihil & hi dixerunt, quod non esset dictum prius. Tantumq; à Mose & superioribus uatibus tradita uerbis alijs planius adpertiusq; enunciabant ex usu temporum suorum, ex usu nostro, in quos fines seculorum deuenerunt. Illarum uero literarum sanctarū studium aliàs in flore fuit, aliàs neglectum propemodum, nunquam tamen planè ommissum, procurante id uidelicet prouidètia diuina. Etenim quum sub Manasse pphetarū strages ederetur & libri sacri iaceret in situ atq; puluere, superest tamen Odolia prophetissa, tandem & sacri codices in lucem sese recipiunt sub Iosia. Per captiuitatem Babylonicam sacra uolumina ex manibus hominum excutiuntur, Esdras tamen à Deo reseruatur, qui reparet et ab interitu uendicet. Nouissime temporibus euolutis iuxta cōsiliū suum

suum æternum locutus est nobis Deus per filium suum unigenitū, qui semper est in sinu patris, non alia quàm quæ per patriarchas, prophetas & Mosē locutus fuerat. Colloquuntur enim cum Christo in monte Tabor Helias & Mosēs, testantes se cum illo facere. Christo testimoniū reddunt omnes scripturæ. Ad scripturæ subinde prouocat saluator contra Iudæos obmuratores, quas & ita roboratas asserit, ut citius hæc mundi moles casura sit, quàm ut unum iota aut unus apex de lege intereat. Non abolet igitur aduentu suo prophetiam superiorē Christus, sed præstat, quod nomine patris promiserat, datamq; fidē liberat. Non abrogat legē, sed illustrat, sed perficit corpus succedens in locum umbrarum, & re ipsa præstans, quod sacrorum rituum figuræ prætulerant, nempe ut filius Dei natus ante secula in hunc corruptibilem mundū nasceretur ex muliere, conceptus ē spiritu sancto, factus sub lege, ut eos qui erant sub lege, redimeret à legis importabili sarcina, peccato, diabolo & morte, qui reconciliaret reduceret in pristinum statū omnia, qui reconciliaret patri omnia, qui conderet sibi populū peculiarem suo sanguine, morte & resurrectione mundatum, sanctificatum & iustificatum, populum inquam æmulatorum bonorum operum, cuius ipse rex sit æternus confidens quidem ad dexterā patris in cœlestibus nunq; tamen suos deserens aut relinquens, sed usq; præsto.

PRÆFATIO AD

existens suo numine ecclesie. In mandatis uero sermo-
nem contractiorem faciens legis & prophetarū sum-
mam nodo gemmino constrinxit, ut diligamus Deū ex
toto corde, tota anima, omnibus uiribus, & proximū
sicut nos met ipsos. Eandem doctrinā suis legatis man-
dat uiua uoce ac scriptis per uniuersum orbem spara-
gier non cōtrariam aut diuersam ueteri scripturæ, sed
tantum clara uoce testantē, cumulatissime à Deo præ-
stitata esse per Christū, quæ patribus sint pmissa. Hæc
sacrosancta ueteris nouiq; instrumenti scriptura ser-
mo est propheticus, cui attendentes tanq̄ lucernæ pos-
sitæ in caliginoso loco recte facimus, ut ait Petrus. Ista
sunt duo Seraphim perpetuò ante thronum Domini
Sabaoth obseruantia, alis sese contingentia, & mu-
tuum inter se acclamantia. Hæc sunt eloquia Dei cer-
ta & indubitata, bibliotheca spiritus sancti, pharma-
copoleion animæ, uere copiæ cornu, thesaurus sapien-
tiæ & scientiæ Dei, uiridarium cœleste, pascua salu-
bria, florida, iucunda, uberrima ouicularū Christi, ex
quibus decerpant solis, quæ Deum, quæ salutem eter-
nam, quæ officium nostrū erga proximū spectant. Illis
adijcerē de humano sensu Luciferiana superbia & te-
meritas est, detrabere sacrilegium supremum, mutare
quicq̄ hæresis & summa perfidia. His testibus certis,
locupletissimis & exploratis semper credendū est: illis
sumo gradu standū: citra illorū testimoniū & autho-
ritatem,

Diuinæ
scripturæ
dignitas.

ritatem, quantūuis eruditus, quantūuis clari nominis,
 quantūuis in specie sanctus fidem nullā meretur in re=
 bus diuinis. Cōtraria uero adferēs, anathema esto, etiā
 si angelus è caelo sit. Vnus ille sermo est certus, fidelis,
 indubitatus, obsignatus sanguine pphetarū, apostolo=
 rum, martyrū, obsignatus morte ac sanguine saluato=
 ris nostri Christi, cōfirmatus signis & pdigijs per ma=
 num Dei, cōfirmatus pignore spiritus Dei, quem effu=
 dit in corda nostra, quæ est fidei $\pi\lambda\upsilon\sigma\phi\omicron\pi\epsilon\iota\alpha$: Con=
 firmatus aut̄ & stabilitus à condito mundo uel potius
 anteq̄ fundamenta mundi iacerentur cōtra oēs insultus
 tyrannorū & mundi, cōtra fraudes & dolos hæreti=
 corum, contra omnes machinas diaboli, deniq; contra
 portas inferorum.

Conatur quidē sedulo ueterator ille hostis uerita=
 tis, fons & origo mendacij, ualidissimam ueritatis & Mendacij
& præuæ
doctrinæ
origo ac
pgressus.
 diuini uerbi arcem expugnare atq; euertere, quam ui=
 det suo regno maxime obsistere. Nihil intentatum re=
 linquit: nunquam cessat: nullas patitur inducias. Iam
 pugnat aperto Marte, uim apertā machinas, tormen=
 ta, facesq; admouens: Iam cuniculis suffodere tentat:
 Iam dolis & fraudibus aggreditur, eoq; ualidius im=
 pugnat, quo tectius & occultius. Ab initio statim, ut
 cōditus est, in ueritate nō perstitit mendaciorū parens.
 Mox Dei uerbū subdole interpretando uel potius per=
 uertendo cōmunes generis humani parentes in fraude
 illexit, illectos decepit, deceptos perdidit, & miseris

PRAEFATIO AD

mortē intulit crudelissimus homicida, uno ictu cervicem totius generis humani incidens, nisi bonitas Dei crudelitatem illius & immanitatem superasset. Grassatur ulterius & in fratris Abeli cædem Cain impellit author & scaturigo inuidiæ, discordiarum, sectarum, seditionum, & homicidiorum. Alios deinde adiungit perfidiæ socios, mendacij ministros & satellites, magnisq; copijs conscriptis iustum colligit exercitum, & præcipuam curam belli atrocissimi Antichristo mandat. Ex istis castris diabolicis alij deuotis animis & magno impetu ueritatem adoriri, profligare & conterere nituntur, ut Nero, Diocletianus, Maxentius & alia tyrannorum monstra. Alij uero imbuti & corrupti malis artibus imperatoris sui, puta superbia, inuidia, pecuniarum cupiditate, mala libidine, insidiantur nuncijs Dei mandata perferentibus, quorū sermo est, Venite opprimamus iustum, quoniã contrarius est uijs nostris. Alij palàm se opponunt & obloquuntur furijs infernalibus perciti, ut Dathan, Core, Abiron similesq; schismatum authores. Alij simulant se ueritatis partes tueri, atq; sub specie amicitiae grauiissime ledunt, ad perfidiam & defectionē clam sollicitantes. Tales sunt Symon, Cerinthus, Marcion, Manichæus, Arrius, & omnes pseudoprophetae, pseudoapostoli & heretici. Hi ex consilio cacodæmonis comenticia spargunt pro mandatis ueri imperatoris, & nimium ad dolos ad-

pertis

pertis insinuant. Quibus ad capiendā ueritatis arcem
 hoc comentum præcipue placuit, ut castellanis pesti-
 lentes libros sub speciosis titulis sanctorū uenditarent
 & obtruderent, inscribentes uenenata sua & lethife-
 ra sigmenta, euangeliū Petri, Thomæ, Bartholomæi,
 Nicodemi, Euangelium XII. apostolorū, itinerarium
 Petri, puericiam Christi, atq; similia. Verum ecclesia iudicium
 Christi non stupida neq; socors mox fucum subodora- ecclesie
 ta est. Adhibuit spiritus diuini iudicium ceu normam Christi de
 & regulam, ceu Lydiū lapidem, & singula pensicu- scripturis.
 late explorando nihil obscure deprehendit impostu-
 ran callidorum hominū, atq; ab hoste subornatorum.
 Adsuetā stylo diuino sutelas diaboli neutiq; adsiran-
 tes ad ueritatis simplicem & syncerum sermonē ag-
 nouit. Familiarem habens uocem pastoris sui, ululatus
 lupi rapacis haud difficulter deprehendit. Comentitias
 uero illas scripturas partim ex toto damnauit & re-
 iecit, ut meras tendiculas mali spiritus: Aliās uelut
 ampliando ἀποκρίφους nominauit indignos qui pu-
 blice in ecclesijs obambulant, utpote adulterinos,
 utcumq; tamen tolerabiles ob quedam utiliter præ-
 cepta, quæ legerentur secreto à firmioribus ad ædifi-
 cationem & morū infirmationem non autem ad dog- Canonici
 matum confirmationem. Publicitus autem exhibuit le- libri.
 gendos omnis conditionis, omnis sexus, omnis ætatis
 hominibus libros de meliore nota, quos canonicos uo-

PRÆFATIO AD

canus, utpote ad canonem & regulã fidei, charitatis, adeoq; ueritatis & diuini spiritus adæquatos, è quibus solis petamus authoritates & firmamenta ad nostræ sacrosanctæ religionis dogmata ppugnanda & tuenda. Cæterum de sacrarum literarum interpretibus & enarratoribus, non est, quòd hîc speciatiim dicamus, quando in prophetarum numero cõprehendimus, & legendos audiendosq; attente, profiteamur, non autem illis assensum deberi, licet in nomine Christi loquantur, nisi quatenus sententias suas canonicis scripturis adstruxerint. Porro aut hanc rationem & facultatem cognoscendi atq; edisserendi res diuinas, quam pphetiam theologianuè dicimus, opus & effectũ esse spiritus sancti neminem latere puto, qui uel leuiter Christianis doctrinis tinctus est: siquidem Iacobus testatur omne bonũ supernè descendere à patre luminũ, prophetiam uerò inter optima poni, confessum est. Paulus uero inter spiritus dona pphetiã numerat: Ac Petrus ait prophetiã non humana uoluntate olim allatã, sed instinctu numinis sanctos homines Dei esse locutos. Illud à peritioribus etiã quæri animaduertimus, ecquãdo mali hoies in quos pseudoprophetarũ quàm prophetarum appellatio magis competit, officiu uere doctentiũ expediant, sermonemq; Dei uerum pnuuncient. Res apperta est: atq; hanc quæstiõnẽ mouentes nodũ, quod dicitur, in scirpo quærunt. Amat quidem Deus ministros

Vnde cogitatio ueritatis enarranda.

Propheta bene aut secus uisus.

ministros sanctos & innocentes, illosq; præcipue re-
 quirat. Interdū tamen prophetiæ administrationē cre-
 dit malis iam ad ædificationē piorū, iam ad confusio-
 nem & condemnationem ueritati non obsequentium.
 Vaticinatur uera Balam de populo Israëlitico: Idē ab
 asina præter naturā loquente arguitur. Saul inter pro-
 phetas saltitans puerbio locū fecit de inopino specta-
 culo. Caiphas pphetat cum esset pontifex anni illius.
 Iudas pditor et fur præconē agit Euangelij. Quin etiā
 Dñs in Euangelicis historijs imperat ac præcipit scri-
 bis pharisæosq; audiri sedentes in cathedra Mosis, &
 monitis eorū obtēperari, neglecto imitationis exem-
 plo, quandoquidē dicerent sed non facerent. Profiteri
 ergo possunt & docere ueritatē, etiā qui non uiuunt
 secundū normā ueritatis. Etenim uerbū Dñi uerū est,
 eternū est, stabile est ac ratū à quocunq; tandem pro-
 ditum, etiāsi cacodæmon repetat, quod à Deo dictum
 est antea, Sors autem præconum bene aut secus uiuen-
 tium inequalis, & exitus dissimilimus est. Boni non
 solum in ore ac lingua, sed etiam in pectore gerunt
 Deum, & de bono thesauro cordis bonum proferunt
 sermonem Domini. Non segniter neq; frigide ac uelut
 alias res agentes uerbū Dei tractant, sed toto incum-
 bunt pectore, manibus et pedibus, uelis atq; remis in-
 stant, opportune, importune, prout tempus, locus
 & personæ postulant. Hi amici & domestici Dei

PRAEFATIO AD

sunt, & post hanc uitā recepti ad Superos fulgebunt cum iustis tanquam stellæ, & cum ijs qui alios erudierunt ad iusticiam, tanquam firmamentū. Malis uero oritur sermo Dominicus in ore ac lingua, qui tepide plerumq; agunt, nec satis bona fide, suas cupiditates, suas res rationesq; in consilium sæpe adhibentes. Hi sunt asini portantes mysteria: canales putres uiuā & salubrem aquā transmittentes: Mortaria in quibus medicæ compositiones parantur, quarū uim ipsa minime sentiant: Statuæ iter monstrantes, quod ipsæ nūq̄ ingrediuntur. Similes coti sunt quæ exacuit ferrū exors tamen ipsa secandi. Tandē uero ad tribunal Christi rapti, dicent quidē: In nomine tuo prophetauimus, demonia eiecimus, prodigia edidimus. Sed audient grauem & horrendam sententiam. Faceßite, hinc operatores iniquitatis. Nescio enim uos. A qua sententia iusti iudicis liberet nos ipsius gratia, reddatq; nos idoneos ministros non tantum literæ sed etiam spiritus, non solum θεολόγους, sed magis θεοσεβείας. Porro de materia quam peculiariter prophetae appellati suis in libris tractant, operæ precium est adponere, quod piæ sanctæq; memoriæ uir Zuinglius scriptum reliquit, in explanatione, quam fecit ad Esaiam prophetam. Vaticinia, inquit, sunt in triplici differentia. Quædam sunt mera uaticinia, ut, Ecce uirgo cōcipiet, & totum quinquagesimum tertiuū cap. Quædam

Varietas
 propheticoꝝ
 rum oracu
 lorum.

Quedam autem prophetarum sermones ita sunt, ut ad sui temporis homines sint tamen dicta, & nihilo secius tempore Christi resumpta, sed in alium usum, ac uelut propria facta sint, ut Isaiæ 40. Vox clamat in deserto, parate uiam Domino. His uerbis alloquitur ætatis suæ homines propheta, ut omnia præparent redeunti ex captiuitate Babylonica genti Israëlita. Quæ res typus fuit quàmuis obscurior, quàm Aegyptiaca liberatio, eius, qua totus orbis liberatus est assertionis. Ioannes autem Baptista Iudæorum legatis respondet, Se esse uocem clamantem, parate uiam domino in deserto, hoc est, se perinde clamare, ut penitentiam agant, Dominum enim adesse, atq; olim Esaias fecisset, quum admoneret aduenientis liberatoris Cyri. Hic Isaiæ uerba non sunt uaticinium proprie, sed typus ac simile eius, quod Ioannes agebat. Postremi generis uaticinia sunt res gestæ. Earum quedam sunt, quæ non sunt sic gestæ, ut aliquid aliud, quàm significarent, ut quum Ieremias femorale abscondit, & Ezechiel capillum & pilum omnem demetit. Aliæ uero, ut reipsa & uere gestæ sunt, typus tamen sunt rerum à Christo & apostolis actarum, ut Iacob reditus cum tot liberis ex Mesopotamia. Prudenter uero cauendum est, ne quæ non sunt primi generis uaticinia mera, promeris uendamus. Meris enim recte agitur aduersum Iudæos & impios. Mixtis autem ac typis non aliter

P R A E F A T I O A D

**Ordo scrip-
torū pros-
phetarum.** debemus uti, quam τὰς ἰχώρ, hoc est, garris & condia-
 dimentis. Hæc ille. Illud etiam nō fortasse prætereun-
 dum, in libris, qui peculiari nomine prophetici uocan-
 tur, non exactum & naturalem temporum, locorum,
 & gestorum ordinem esse requirendum. Licet enim
 uideantur naturalem plerumq; sequi ordinem, inter-
 serunt tamē sermones frequenter de Mesiah & illius
 amplissimo regno, alijsq; rationibus directam seriem
 perturbant. Minime uero suspicari fas est, prophetas
 in ecstasi & stupore mentis phanaticorum more ser-
 monem confudisse, ut Montanus facticius paracletus
 fabulatur. Nō ἤ. dederūt isti sancti uiri sine mente so-
 num, sed nota sibi compotes mentis dixerunt, sciteq;
 & commode sermonem temperarunt, prout spiritus,
Epilogus qui non est author confusionis, dedit eis loqui. Dixi-
eorum quæ mus iam pro modiollo ingenij nostri, pro temporis ra-
de pphetia tione sententiam iudiciumq; nostrum de ueritate &
dicta sunt. mendacio, & imprimis de sacris literis, prophetiā seu
 theologiam uideri modum rationemq; tum recte sen-
 tiendi, tum rite, sancte sincereq; de Deo & eius ope-
 ribus differendi: eiusq; facultatis, professionis, & di-
 scipline discrimina esse, ut sint in hoc ordine hominū
 diuinorū, tum qui uisus per quietem aut uigiliam ob-
 iectis, tum qui uoce cœlitus allata, tum qui recondi-
 tis inspirationibus de uoluntate Dei sunt certiores
 facti non solum de futuris, sed etiam de præsentibus et
 præteritis

præteritis rebus, illos etiam, qui uoce scriptili & li-
 brorum memorijs edocti alios informât ad pietatem,
 sed & eos qui præcipuo studio sacris lectionibus &
 auscultationibus dediti sunt: Contineri autem sermo-
 nem propheticum in libris ueteris & noui testamenti
 tanquam in obfignatis tabulis indubitata, spectata &
 explorata fidei: Hanc autem supermundanam phi-
 losophiâ indigere spiritus sancti magisterio, qui præ-
 cipue se pijs mentibus insinuat, pro temporum tamen
 & locorû & personarû conditione corrupta etiam
 peccatorum non reformidat, sic sanè, ut inæqualis & di-
 spar exitus maneat uel integros uel sceleratos pro-
 phetas: Materie uero quam tractant præcipue titu-
 lum prophetarû obtinentes, discrimina differentiasq;
 esse, ut quædam uaticinia sint planè superioris ætatis,
 quædam proprie spectent sæculum, quo locutus est
 uates, sint tamen repetita in alium usum temporibus
 euangelij manifestati, ac uelut mutuo sumpta, quædã
 sint res geste, uel ut tantû significarent, uel ut reipsa
 quidem geste, typum tamen Christi & negotiorum,
 illius regni præferrent: Ordinem deniq; non natura-
 lem in sermonibus prophetis obseruari, sed artificio
 spiritus sancti cõmode, scite, & omnino rectissime in-
 stitutum. Nunc de nostro uate præclarissimo Esaiã
 paucis explicandum uidetur.

PRÆFATIO AD

De Esais

Is natus Hierosolymis ex nobili familia patre Amos non illo propheta, cuius liber extat, sed qui frater Azariae regis habetur, ingenio præditus fuit recto & peramceno ac cœlestis numinis adflatu eximie ditato et illustrato. In populo Iudaico præstantissimus præco extitit, sub quatuor regibus, quos in titulo sui libri recenset, tuba intonans prophetica circiter 50. annos, strenuus inter primos propugnator ueritatis, impugnator uanitatis, cultor uirtutū, extirpator uitiorum. Tandem ab ingratis & perfidis hominibus iniquam mercedem saluberrimæ doctrinæ recepit, ac sub Manasse prophetarum parricida serra dissectus est, non quia dixit se uidisse Dominū, ut Iudæi cōminiscuntur, sed quia ueritatem dixit. Sepultus est, ut Hieronymus prodidit, sub quercu Rogel iuxta transitū aquarum, quas olim Ezechias rex iacto puluere obstruxerat. Cæterum à Deo, qui recte facta cumulatissimis honoribus & præmijs rependit, in cœlestia gaudia receptus immarcesibilem tenet gloriæ coronam, propositus exemplum sanctæ, constanter, inculpate uiuendi, mendacium insectandi, ueritatem profitendi, tuendi, propugnandi uel cum uitæ dispendio, si ita res tempus & gloria Dei postulet. Librum nobis reliquit uel potius thesaurum eximium refertissimum bona fruge ac cœlesti sapientia. Sermo in lingua uernacula Hebræorum est purus, emunctus, tersus, elegans, politus, graui ciuilitate

ciuilitate & ciuili grauitate conditus. Verba electa,
 sublimia, ampla, & tantis rebus aptata. Compositio
 iucunda, & clarorū elaboratas compositiones ora-
 torum æquans, aut etiam superans, non similis Milesiæ
 saltatriculæ, sed uenerandis quibusdam & sacris nu-
 meris incedens. In tropis, figuris, sententijs, eloquijs
 uenustas, dignitas, amplitudo, maiestas. De rebus quas
 aggreditur tum copiosius, tum dilucidius, tum uehe-
 mentius, tū splendidius agit, quàm pleriq; illius classis
 propheta. Vitioreū labes acri perfundit aceto, taxat,
 exagitat, insectatur, et omnino horrēda, fœda, fugien-
 daq; ostendit. Virtutes plenissimo, quod aiunt, ore
 laudat, extollit, cōmendat, inculcat, amplectendas esse
 persuadet. De Messia uero sic loquitur apperte, de di-
 spensatione carnis adsumptæ, de secuta gloria, de my-
 sterijs illius augustissimi regni, ut ueteribus tractato-
 ribus non tam propheta quàm apostolus, quàm euan-
 gelista iudicetur. Ex hoc præcipue Christum ediscit
 eunuchus Candacis reginæ, ut Lucas in actis memorie
 tradidit. Hunc potissimū Christus Dominus & uni-
 cus doctor noster in schola Nazaret sumit in manus,
 euoluit, explicat, edisserit. Inde plurimum trahitur in
 euangelicas & apostolicas literas testimoniorū. Nec
 Hieronymus utiq; magnus uir dubitat pronunciare de
 hoc præstantissimo scriptore, Physicam, Ethicam, Po-
 liticam, quicquid uspiam sit sacrarum scripturarum,

PRÆFATIO AD

quicquid possit humana lingua proferre, & mortali-
 lium sensus percipere, in hoc uolumine contineri.
 Sunt & alia multa in huius celeberrimi uatis laudem
 pertinentia. Sed ingenium meum ad istam rerum mag-
 nitudinem obstupescit, ac deficit, nec mortalis lingua
 potest edicere. Atque haud scio an omnino satius, fuisse-
 set, quod Salustius de Carthagine dixit, in totum de
 illo tacere, quam pauca dicere. In hoc igitur celesti
 scriptore enarrando si minus eruditionem adferre pos-
 sum, agam tamen diligenter, sincere, ac bona fide, ut
 ipsissima scriptoris sententia in propatulo extet, qua-
 tenus mea tenuitas prestare poterit, quatenus aliorum
 commentarii opem tulerint, Non enim hic pudet ex
 commentarijs sapere, quatenus me preces uestre adiu-
 tarint. Legem interpretandi scripturas, quam sancit
 Diuus Petrus sanctè ac religiose obseruabo, ut non pri-
 uata interpretatione dicta prophetica deprauem, &
 adulterem, sed iuxta spiritum quo locuti sunt, edisse-
 ram. Meminero dicti Hieronymiani, commentatoris
 officium esse non quid ipse uelit, sed quid sentiat ille,
 quem explanare debet, exponat, ne aduersarius potius
 quam interpres authoris inueniatur. Omnium uero
 dicta semper adducere, quae uel cum authoris mente
 consonant, uel dissident, nec possem si uelim, nec uel-
 lem, si possem, & quod insuaue, inutile, molestum, inep-
 tumque foret, & quod aliorum dicta si quis requirat,
 ut certe

Modus ad
 explanatio-
 nem uatis
 institutus.

ut certe fieri decet, planius, rectius, syncerius, iucundiusq; ex ipsorum libris hauriuntur, quàm meo rancido sermone porrigi queant. Mihi curæ ac cordi fuerit, ipsam authoris mentem adperire, & in lucem statuere simpliciter, pprie, & quàm breuissime potero. Nec etiam confido, nec promitto me semper omnes omnium interpretationes collaturum cum Græcis. Hebraicam sermonem, hoc est, fontem mihi proponam præcipue, unde sumam, quod illustrando isti prophetarum classicorum principi deseruiet. Iam ad sermonem nostri uatis oculos, aures, animumq; aduertite bonis auibus, hoc est, adspirante cœlestis flaminis gratia, quod se ferè in specie columbæ protulit.



ERRATA.

- Pagina 3. b. pro ructa snppellex lege curta supellex.
 Pagina 4. b. pro diuinæ sciētiae lege diuinæ scripturæ.
 Sunt & leuicula menda quæ lector facile tollet uel litera tantum perperam posita, uel abundante. ut
 Pagina 4. b. palatu pro palatij. Pagina 6. utrumq; pro utcunq;. Pagina 6. præcipiatis pro percipiatis.
 Pagina 27. indignos pro indignas. Pagina 6. fronte pro fonte. Pagina 22. b. inditium pro inditum.

The first part of the book is devoted to a general
 introduction of the subject, and to a discussion
 of the various methods of proof. The second part
 contains a detailed account of the various
 methods of proof, and a discussion of the
 various methods of proof. The third part
 contains a detailed account of the various
 methods of proof, and a discussion of the
 various methods of proof. The fourth part
 contains a detailed account of the various
 methods of proof, and a discussion of the
 various methods of proof. The fifth part
 contains a detailed account of the various
 methods of proof, and a discussion of the
 various methods of proof. The sixth part
 contains a detailed account of the various
 methods of proof, and a discussion of the
 various methods of proof. The seventh part
 contains a detailed account of the various
 methods of proof, and a discussion of the
 various methods of proof. The eighth part
 contains a detailed account of the various
 methods of proof, and a discussion of the
 various methods of proof. The ninth part
 contains a detailed account of the various
 methods of proof, and a discussion of the
 various methods of proof. The tenth part
 contains a detailed account of the various
 methods of proof, and a discussion of the
 various methods of proof.

APPENDIX

The first part of the appendix is devoted to a
 general introduction of the subject, and to a
 discussion of the various methods of proof. The
 second part contains a detailed account of the
 various methods of proof, and a discussion of
 the various methods of proof. The third part
 contains a detailed account of the various
 methods of proof, and a discussion of the
 various methods of proof. The fourth part
 contains a detailed account of the various
 methods of proof, and a discussion of the
 various methods of proof. The fifth part
 contains a detailed account of the various
 methods of proof, and a discussion of the
 various methods of proof. The sixth part
 contains a detailed account of the various
 methods of proof, and a discussion of the
 various methods of proof. The seventh part
 contains a detailed account of the various
 methods of proof, and a discussion of the
 various methods of proof. The eighth part
 contains a detailed account of the various
 methods of proof, and a discussion of the
 various methods of proof. The ninth part
 contains a detailed account of the various
 methods of proof, and a discussion of the
 various methods of proof. The tenth part
 contains a detailed account of the various
 methods of proof, and a discussion of the
 various methods of proof.